

ACTA ET DECRETA
SACROSANCTI ET OECUMENICI
CONCILII VATICANI

DIE 8. DECEMBRIS 1869

A SS. D. N. PIO P. IX. INCHOATI.

CUM PERMISSIONE SUPERIORUM.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMTIBUS HERDER.
MDCCCLXXI.
ARGENTORATI: AGENTIA HERDER.

I N D E X.

PARS I.

ACTA PUBLICA, QUIBUS CONCILIUM VATICANUM PRAEPARATUM EST.

	Pag.
I. Epistola Encyclica SS. D. N. PII PP. IX. ad Patriarchas, Primate, Archiepiscopos et Episcopos universos gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentes d. d. 8. Decembris 1864	3
II. Syllabus complectens praecipuos nostrae a tatis errores, qui notantur in Allocutionibus Consistorialibus, in Encyclicis, aliisque Apostolicis Litteris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX.	10
§. I. Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus	10
§. II. Rationalismus moderatus	11
§. III. Indifferentismus, Latitudinarismus	13
§. IV. Socialismus, Communismus, Societatis clandestinae, Societates bibliace, Societates clero-liberales	13
§. V. Errores de Ecclesia ejusque juribus	13
§. VI. Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad ecclesiam relationibus spectata	16
§. VII. Errores de ethica naturali et christiana	18
§. VIII. Errores de matrimonio christiano	19
§. IX. Errores de civili Romani Pontificis principatu .	21
§. X. Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur	21
III. Epistola Encyclica Eminentissimi Card. Caterini, Praefecti Congreg. Concilii, jussu SS. D. N. Pii P. IX. scripta ad omnes Episcopos	22
Quaestiones, quae ab Apostolica Sede Episcopis proponuntur	23
IV. Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae IX. Allocutio habita in Consistorio secreto die 26. Junii 1857	26
V. Litterae Episcoporum quingentorum, qui ad 18. Centenarium S. Petri Apostoli Romae a. 1867 congregati Summo Pontifici Pio P. IX. congratulantur de annuntiato Concilio Oecumenico, Kalendis Julii 1867	31
VI. Responsum SS. D. N. Pii PP. IX. ad Litteras Episcoporum, 1867	46

	Pag.
VII. [Bulla Convocationis.] Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae IX. Litterae Apostolicae quibus indicitur Oecumenicum Concilium Romae habendum et die Immaculatae Conceptioni Deiparae Virginis sacro anno 1869 incipiendum. (Emissae die 29 Junii a. 1868)	48
VIII. Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae IX. Litterae Apostolicae ad omnes Episcopos Ecclesiarum Ritus orientalis communionem cum Apostolica Sede non habentes	54
IX. Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae IX. Litterae Apostolicae ad omnes Protestantes aliosque Acatholicos	56
X. Congregationes et Commissiones, quae materias in Concilio examinandas praeparaverunt	59
Congregatio Cardinalicia directrix	59
Commissio caeremoniarum	59
Commissio politico-ecclesiastica	59
Commissio pro ecclesiis et missionibus Orientis	60
Commissio pro regularibus	60
Commissio theologico-dogmatica	60
Commissio pro disciplina ecclesiastica	61
XI. Litterae Apostolicae SS. D. N. Pii PP. IX., quibus ob futurum Concilium indulgentia plenaria in forma jubilaei omnibus fidelibus conceditur. d. 11. Apr. 1869	62
XII. Litterae Apostolicae SS. D. N. Pii PP. IX., quibus ordo generalis statuitur in SS. Oec. Concilio Vaticano observandus. d. 27. Nov. 1869 .	66
I. De modo vivendi in Concilio	67
II. De jure et modo proponendi	68
III. De secreto servando in Concilio	68
IV. De ordine sedendi, et de non inferendo alicui praejudicio	69
V. De Judicibus excusationum et querelarum	69
VI. De Officialibus Concilii	70
VII. De Congregationibus Generalibus Patrum	71
VIII. De Sessionibus publicis	73
IX. De non discedendo a Concilio	73
X. Indultum Apostolicum de non-residentia pro iis qui Concilio intersunt	74
XIII. Duo Brevia a SS. D. N. Pio PP. IX. data Archiepiscopo Westmonasteriensi de invitatis ad Concilium Acatholicis	75
A. Datum 4. Sept. 1869	75
B. Datum 30. Oct. 1869	76
XIV. Constitutio SS. D. N. Pii PP. IX., qua numerus censurarum latae sententiae restringitur. d. 12. Oct. 1869	77
Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae	78
Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae	80
Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae	81
Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae .	81
Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae	82
Interdicta latae sententiae reservata	83

Index.

v

	Pag.
XV. Responsum aliqua Congregationum Romanarum ad jubilaeum et preces indictas ob futurum Concilium pertinentia	85
A. Responsum S. Poenitentiariae de dubiis circa jubilaeum. d. 1. Junii 1869	85
B. Responsum S. Congregationis SS. Rituum de missa et collecta Spiritus S. ex occasione Concilii injunctis. d. 3. Julii 1869	89
C. Responsum S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum de quibusdam dubiis circa jubilaeum. d. 10. Jul. 1869	91
D. Responsum S. Congregationis SS. Rituum, quo conceditur Episcopis eorumque consultoribus et capellanis, ut in missa et breviario sequi possint calendarium Romanum. d. 19. Aug. 1869	93
XVI. Elenchus vestium et sacrorum paramentorum, quae Reverendissimi DD. Archiepiscopi et Episcopi latini ritus Romam advenientes pro Oecumenico Concilio Vaticano celebrando secum deferri curabunt	94
XVII. Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae IX. Constitutio de electione Romani Pontificis, si contingat Sedem Apostolicam vacare durante Concilio Oecumenico. d. 4. Dec. 1869	95
Caeremoniale in electione Summi Romani Pontificis observandum	98
XVIII. Methodus servanda in prima sessione Sacri Concilii Oecumenici, quod in Patriarchali Basilica S. Petri in Vaticano celebrabitur	110
XIX. Ordo ex Caeremoniali praesertim S. R. E. excerptus Concilii Oecumenici celebrandi in Sacrosancta Basilica Vaticana jussu SS. Domini Nostri Pii IX. Catholicae Ecclesiae Episcopi	120
XX. Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari	126. 128
XXI. Monitum	128. 129
XXII. Sermo in evangelium Dominicae primae Adventus habitus in Basilica S. Petri imminente Oecumenico Concilio Vaticano a Fr. Raimundo Bianchi, Procuratore Generali Ordinis Praedicatorum, die 28. Nov. 1869	130
XXIII. Congregatio Prosynodalis. 2. Dec. 1869. — Allocutio habita in Congregatione Generali ante primam Sessionem Concilii Vaticani a SS. Domino Nostro Pio Divina Providentia PP. IX. ad Episcopos Catholici Orbis, qui ad idem Concilium Romam convenerunt die 2. Decemb. 1869	133
XXIV. Formula jurisjurandi ab Officialibus SS. Concilii praestiti die 2. Dec. 1869	136
XXV. Nomina Stenographorum SS. Concilii Vaticani, qui die 2. Dec. 1869 jura- mentum in manus Rev. Secretarii Concilii Vaticani praestiterunt	137
XXVI. Inscriptiones aulae conciliaris	138
Novae nominationes	140

PARS II.

ACTA PUBLICA ET DÉCRETA IPSIUS SS. OECUMENICI CONCILII VATICANI.

Sessio I.

Habita die 8. Dec. 1869.

	Pag.
Sermo habitus coram SS. D. N. P. Pio IX. ab Archiep. Iconensi i. p. i. Puecher-Passavalli, Vicario Basilicae Vaticanae	143
Allocutio SS. D. N. P. Pii IX. habita ad Patres Concilii Vaticani in prima Sessione d. 8. Dec. 1869	150
Decreta duo, in prima Sessione per acclamationem facta	153
Deputationes speciales	154

Sessio II.

Habita die 6. Jan. 1870.

Professio Fidei Tridentina, facta a SS. D. N. P. Pio IX. et omnibus PP. Concilii Vaticani	160
Monitum Eminentissimorum Praesidum Congregationum Generalium publicatum in Congregatione Generali die 14. Januarii 1870	162. 163
Decretum novam normam pro Congregationibus Generalibus statuens	163
Monitum de infallibilitate Romani Pontificis	166
Monitum	166
Monitum quo indicantur Patribus Concilii ritus sacri, qui tempore quadragesimali Basilica Vaticana habebuntur	167
Decretum quo providetur illis dioecesisibus, quarum antistites Concilio assistentes Sacra Olea in suis Ecclesiis consecrare non possunt	168
Monitum quo annunciatur Patribus tertia Sessio publica et modus suffragii dandi	169

Sessio III.

Habita die 24. Aprilis 1870.

Constitutio dogmatica de Fide Catholica .	170
Canonés	177

Sessio IV.

Habita die 18. Julii 1870.

Prooemium	180
Constitutio dogmatica prima de Ecclesia Christi edita in Sessione quarta Sacro-sancti Oecumenici Concilii Vaticani	181
Protestatio contra infames libellos a Cardinalibus Congregationum Generalium Praesidibus cum Patribus Concilii communicata in Congr. Gen. die 16. Julii 1870	188
Monitum	189

Index.

vii

	Pag.
Nomina Reverendissimorum Patrum qui in Congregatione Generali diei 13. Augusti ad Deputationem pro rebus disciplinae ecclesiasticae, loco absentium, majori suffragiorum numero electi sunt	189
[Suspensio Concilii.] Litterae Apostolicae SS. D. N. Pii PP. IX., quibus Concilium Oecumenicum suspenditur	190

LEXICON GEOGRAPHICUM,

DIOCESEON RESIDENTIALIUM ET ABBATIARUM NULLIUS.

A. Sedes Archiepiscopales et Episcopales, quae dicuntur Residentiales	III
B. Abbatiae et Praelatura nullius	XXXIV

CATALOGUS

PRAELATORUM SS. ECCLESIAE CATHOLICAE,

quibus aut jus aut privilegium fuit sedendi in Oecumenica Synodo Vaticana.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini S. E. R. Cardinales,	
Ordinis Episcoporum	XXXVII
Ordinis Presbyterorum	XXXVII
Ordinis Diaconorum	XXXIX
Reverendissimi DD. Patriarchae	XXXIX
Reverendissimi DD. Primates	XXXIX
Reverendissimi DD. Archiepiscopi	XL
Reverendissimi DD. Episcopi	LXVII
Abbes nullius dioeceseos	LXXVII
Abbes generales ordinum monasticorum mitrae usum habentes	LXXVII
Generales et Vicarii generales,	
Congregationum clericorum regularium	LXXIX
Ordinum monasticorum	LXXIX
Ordinum mendicantium	LXXIX
Sacri Concilii Patres, qui a die 8. Decembris 1868 ad diem 8. Augusti 1870 obierunt	LXXX

PARS I.

ACTA PUBLICA,

QUIBUS

CONCILIUM VATICANUM PRAEPARATUM EST.

I.

EPISTOLA ENCYCLICA SS. D. N. PII PP. IX.

PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS ET
EPISCOPOS UNIVERSOS

GRATIAM ET COMMUNIONEM APOSTOLICAE SEDIS HABENTES

D. D. 8. DECEMBRIS 1864.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres salutem et Apostolicam benedictionem.

Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices Praedecessores Nostri exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis officium munusque pascendi agnos et oves, nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere, eumque ab venenatis passuis arcere, omnibus quidem ac Vobis praesertim compertum exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem Decessores Nostri augustae catholicae religionis, veritatis ac justitiae assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Litteris et Constitutionibus retegere et damnare omnes haereses et errores, qui Divinae Fidei nostrae, catholicae Ecclesiae doctrinac, morum honestati, ac sempiternae hominum saluti adversi, graves frequenter excitarunt tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarunt. Quocirca iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes tamquam fluctus feri maris confusiones suas, ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus et perniciosissimis scriptis catholicae religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac justitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque praesertim

juventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumperem, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiae catholicae sinu avellere conati sunt.

Jam vero, uti Vobis, Venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vix dum arcano divinae providentiae consilio nullis certe nostris meritis ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissimam, ac nunquam satis lugenda damna, quae in christianum populum ex tot erroribus redundant: pro Apostolici nostri Ministerii officio illustria Praedecessorum nostrorum vestigia sectantes nostram extulimus vocem, ac pluribus in vulgus editis Encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis aliisque Apostolicis Litteris praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos catholicae Ecclesiae Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam dirae contagia pestis omnino horrerent et devitarent. Ac praesertim Nostra prima Encyclica Epistola die 9. novembris anno 1846 Vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9. decembris anno 1854, altera vero 9. junii anno 1862 in Consistorio a Nobis habita fuit, monstrosa opinionum portenta damnavimus, quae hac potissimum aetate cum maximo animarum damno, et civilis ipsius societatis detimento dominantur, quaeque non solum catholicae Ecclesiae, ejusque salutari doctrinae ac venerandis juribus, verum etiam sempiternae naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptae, rectaeque rationi maxime adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

Etsi autem haud omiserimus potissimos hujusmodi errores sacpe proscribere et reprobare, tamen catholicae Ecclesiae causa, animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex eisdem erroribus veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione et mandato libere exercere debet usque ad consummationem saeculi non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos summosque eorum Principes, utque de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper extitit ac salutaris¹. Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applicantes audent docere, „optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituantur et gubernetur, nullo habito ad religionem

¹ Gregor. XVI. Epist. Encycl. *Mirari* 15. aug. 1832.

respectu, ac si ea non existeret; vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discriminē.“ Atque contra sacrarum Litterarum, Ecclesiae, sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant, „optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coērcendi sanctis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica potulet.“ Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem, catholicae Ecclesiae animarumque saluti maxime exitialem, a rev. mem. Gregorio XVI. praedecessore *Nostro deliramentum* appellatam¹, nimurum „libertatem conscientiae et cultuum esse proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coaretandam, quo suos conceputus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare ac declarare valcant.“

Dum vero id timere affirmant, haud cogitant et considerant, quod *libertatem perditionis*² praedicant, et quod „si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui veritati audient resultare, et de humanae sapientiae loquacitate confidere, cum hanc nocentissimam vanitatem quantum debeat fides et sapientia christiana vitare, ex ipsa Domini nostri Jesu Christi institutione cognoscat“³. Et quoniam ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana justitiae humanique juris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae justitiae legitimique juris locum materialis substituitur vis, inde liquet, cur nonnulli, certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque, audeant clamare, „voluntatem populi publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam, et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim juris habere.“ Verum ecquis non videt, planeque sentit, hominum societatem religionis ac verae justitiae vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis?

Eapropter hujusmodi homines acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias quamvis de re christiana, civili, ac litteraria summopere meritas, et blaterant, easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam ut sapientissime rec. mem. Pius VI. Decessor Noster docebat, „regularium abolitio laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam Apostolicae doctrinae consentaneam, lac-

¹ Eadem Encycl. *Mirari*.

² S. Aug. Epist. 105. al. 166.

³ S. Leo Epist. 164. al. 133. §. 2. edit. Ball.

dit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, qui non nisi a Deo inspirati eas constituerunt societates“¹.

Atque etiam impie pronuntiant, auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem, „qua eleemosynas christianaee caritatis causa palam erogare valeant,“ ac de medio tollendam legem, „qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur,“ fallacissime praetexentes, commemoratam facultatem et legem optimae publicae oeconomiae principiis obsistere.

Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis. Etenim funestissimum *Communismi* et *Socialismi* docentes ac profitentes errorem asserunt, „societatem domesticam seu familiam totam suae existentiac rationem a jure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cumprimis vero jus institutionis educationisque curandae.“ Quibus impiis opinionibus machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis a juventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque juvenum animi perniciosis quibusque erroribus vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et jura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim juventutem decipiendam ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius juventutis corruptela collocarunt. Quocirca nunquam cessant utrumque clerum, ex quo, veluti certissima historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem, et litterariam rem publicam comoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare, et edicere, ipsum Clerum „utpote vero utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum ab omni juventutis instituendae educandaequa cura et officio esse amandum.“

At vero alii instaurantes práva ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subjicere, et omnia ejusdem Ecclesiae et Sedis jura denegare circa ea quae ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet affirmare, „Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; constitutiones Apostolicas², quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur sive non exigatur

¹ Epist. ad Card. de la Rochefoucauld 10. martii 1791.

² Clement. XII. „In eminenti.“ Benedict. XIV. „Providas Romanorum.“ Pii VII. „Ecclesiam.“ Leonis XII. „Quo graviora.“

juramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate multantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus, ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio; excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui jura possessionesque Ecclesiae invadunt et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae jus non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; conforme esse sacrae theologiae jurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab Ecclesiis, a Familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vindicare.“ Neque erubescunt palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae atque errores. Dictant enim, „Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque ejusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis.“ Atque silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt „illis Apostolicis Sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiae, ejusdemque jura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato et absque ulla catholicae professionis jactura.“ Quod quidem quantopere aduersetur catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae, universalem pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsis humanae societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Ac practerea optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritatis justitiaeque osores et acerrimos nostrae religionis hostes, per pestiferos libros, libellos et ephemeredes toto terrarum orbe dispersas populis illudentes, ac malitiose mentientes, alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis, hac etiam nostra aetate, nonnullos reperiri, qui satanae spiritu permoti et incitati eo impietatis devenerunt, ut Dominatorem Dominum Nostrum Jesum Christum negare, ejusque Divinitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant. Hic vero haud possumus, quin maximis meritisque laudibus Vos efferamus, Venerabiles Fra-

tres, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

Itaque hisce Nostris Litteris Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinibus Nostrae partem vocati summo Nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, laetitia et consolationi estis propter egregiam, qua praestatis, religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem, fidem et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicae Sedi concordissimis animis obstricti gravissimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo exspectamus, ut assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Iesu Christi velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere, ut fideles curae vestrae concediti „abstineant ab herbis noxiis, quas Jesus Christus non colit, quia non sunt plantatio Patris“ ¹. Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione, ejusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cuius Dominus Deus ejus ².

Docete „catholicae Fidei fundamento regna subsistere“ ³, et nihil tam mortiferum, tam praeceps ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium, cum nasceremur, accepimus, ultra jam a Domino nihil quaeramus, id est, auctoris nostri oblitii, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, abjuremus ⁴. Atque etiam ne omittatis docere regiam potestatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam ⁵, et nihil esse, quod civitatum Principibus et Regibus majori fructui gloriaeque esse possit, quam si, ut sapientissimus fortissimusque alter Praedecessor Noster S. Felix Zenoni Imperatori perscribebat, „Ecclesiam catholicam . . . sinant uti legibus suis, nec libertati ejus quemquam permittant obsistere. . . Certum est enim hoc rebus suis esse salutare, ut, cum de causis Dei agatur, juxta ipsius constitutum, regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant subdere, non praeferre“ ⁶.

Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiae civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam, et hanc Apostolicam Sedem conspiratione tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quocirca omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una Nobiscum Vobisque clementissimum luminum et misericordiarum Patrem ferven-

¹ S. Ignatius M. ad Philadelph. 3.

² Psalm. 143.

³ S. Caelest. epist. 22. ad Synod. Ephes. apud Coust. p. 1200.

⁴ S. Innocent. I. epist. 29. ad Episc. conc. Carthag. apud Coust. p. 891.

⁵ S. Leo, Epist. 156. al. 125.

⁶ Pius VII. Epist. Encycl. *Diu satis*. 15. maji 1800.

tissimis humillimisque precibus sine intermissione orent, et obsecrant, et in plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum nostrum Jesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo, Ejusque dulcissimum Cor flagrantissimae erga nos caritatis victimam enixe jugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor Ejus ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labore puris ad ipsum accedant, iccirco caelestes Ecclesiae thesauros dispensationi Nostrae commissos Christifidelibus Apostolica liberalitate reserare censuimus, ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius incensi ac per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati fidentius suas preces ad Deum effundant, ejusque misericordiam et gratiam consequantur.

Hisce igitur Litteris auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus Plenariam Indulgentiam ad instar Jubilaei concedimus intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra, a Vobis, Venerabiles Fratres, aliquisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma Brevis die 20. mensis novembris anno 1846 datas, et ad universum episcopalem vestrum Ordinem missas, quarum initium „Arcano Divinae Providentiae consilio,“ et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Litteras a Nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis Litteris praescripta sunt, et ea excipiantur, quae excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem Litterarum exemplar ad Vos perferri jussimus.

„Rogemus, Venerabiles Fratres, de intimo corde et de tota mente misericordiam Dei, quia et ipse addidit dicens: misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Petamus et accipiemus, et si accipiendo mora et tarditas fuerit, quoniam graviter offendimus, pulsemus, quia et pulsanti aperietur, si modo pulsent ostium preces, gemitus et lacrymae nostrae, quibus insistere et immorari oportet, et si sit unanimis oratio . . . , unusquisque oret Deum non pro se tantum, sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare nos docuit“¹. Quo vero facilius Deus Nostris, Vestrisque, et omnium fidelium precibus votisque annuat, cum omni fiducia deprecatricem apud Eum adhibeamus Immaculatam sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae cunctas haereses interemitt in universo mundo, quaeque omnium nostrum amantissima Mater, „tota suavis est . . . ac plena misericordiae . . . , omnibus sese exorablem, omnibus clementissimam praec-

¹ S. Cyprian. Epist. II.

bet, omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu¹, atque utpote Regina adstans a dextris Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Iesu Christi in vestitu deaurato circumamicta varietate, nihil est, quod ab Eo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli ejus Pauli, omniumque Sanctorum Caelitum, qui facti jam amici Dei pervenerunt ad caelestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua immortalitate securi, de nostra sunt salute solliciti.

Denique caelestium omnium donorum copiam Vobis a Deo ex animo adprecantes singularis Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII. decembris anno 1864, decimo a Dogmatica Definitione Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis Mariae.

Pontificatus Nostri Anno decimo hono.

PIUS PP. IX.

II.

SYLLABUS

COMPLECTENS PRAECIPUOS NOSTRAE AETATIS ERRORES,
QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS; IN
ENCYCLICIS, ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI
DOMINI NOSTRI PII PAPAE IX.

§. I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et ideo immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus

¹ S. Bernard. Serm. de duodecim praerogativis B. V. M. ex verbis Apocalyp.

oam mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris 1846.

Epist. encycl. *Singulari quidem* 17. martii 1856.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et iccirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

VII. Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poëtarum commenta, et christiana fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

§. 2.

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, iccirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9. decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christiana sunt objectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exulta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditionibus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11. decembris 1862.

Epist. ad eundem *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11. decembris 1862.

Epist. ad eundem *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11. decembris 1862.

XII. Apostolicae Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

N.B. Cum rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15. junii 1857., et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 30. aprilis 1860.

§. III.

Indifferentismus, Latitudinarismus.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

XVI. Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperiēre aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris 1846.

Alloc. *Ubi primum* 17. decembris 1847.

Epist. encycl. *Singulari quidem* 17. martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* 9. decembris 1854.

Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 17. augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa verae ejusdem christianaे religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8. decembris 1849.

§. IV.

Socialismus, Communismus, Societas clandestinae, Societas biblicae, Societas clericico-liberales.

Eiusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembr. 1846.; in Alloc. *Quibus quantisque* 20. april. 1849.; in Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8. dec. 1849.; in Alloc. *Singulari quadam* 9. dec. 1854.; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur moerore* 10. augusti 1863.

§. V.

Errores de Ecclesia ejusque juribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulare quadam* 9. decembris 1854.

Alloc. *Multis gravibusque* 17. decembris 1860.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30. septembris 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem..

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

XXV. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

Epist. encycl. *Incredibili* 17. septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omnibus temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

XXIX. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritac, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembris 1852.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 29. septembris 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologiarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia doctrina est, quae medio aevo praevaluit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliquam civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Multis gravibusque* 17. decembris 1860.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18. martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

§. VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae· societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris 1846.

Alloc. *Quibus quantisque* 20. aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis jus civile praevalet.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, immo et ea réclamante.

Alloc. *In consistoriali* 1. novembris 1850.

Alloc. *Multis gravibusque* 17. decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In consistoriali* 1. novembris 1850.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christiana alicujus Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicunque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regime studiorum, in graduum collatione, in dilectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In consistoriali* 1. novembris 1850.

Alloc. *Quibus luctuosissimis* 5. septembbris 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

Alloc. *Nunquam före* 15. decembris 1856:

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14. julii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaequaque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14. julii 1864.

IL. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacerorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo comunicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se jus praesentandi episcopos et potest ab illis exigere, ut ineant dioecesium procurationem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipient.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

LI. Immo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pon-

tifici in iis quae episcopatum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembbris 1852.

LII. Gubernium potest suo jure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permisso ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

LIII. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam juris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembbris 1852.

Alloc. *Probe memineritis* 22. januarii 1855.

Alloc. *Cum saepe* 26. juli 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Status ab Ecclesia sejungendus est.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembbris 1852.

§. VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est, ut humanae leges ad naturae jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipient.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae, quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 10. augusti 1863.

LIX. Jus in materiali facto constitit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium vi-
rium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.

LXI. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detri-
mentum affert.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18. martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vo-
cant de *non-interventu*.

Alloc. *Novos et ante* 28. septembribus 1860.

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et
rebellare licet.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembribus 1846..

Alloc. *Quisque vestrum* 4. octobris 1847.

Epist. encycl. *Noscitis et nobiscum* 8. decembris 1849.

Litt. Apost. *Cum catholica* 26. martii 1860.

LXIV. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quae-
libet sclesta flagitiosaque actio sempiterna legi repugnans, non
solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita summisque
laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20. aprilis 1849.

§. VIII.

Errores de matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimo-
nium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

LXVII. Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sancti potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembris 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usâ, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

LXX. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851..

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat ubi lex civilis aliam formam praestituat et velit, hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

LXXII. Bonifacius VIII. votum castitatis in ordinatione emis sum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christiano constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

Lettera di S. S. PIO IX. al. Re di Sardegna, 9. settembre 1852.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembris 1852.

Alloc. *Multis gravibusque* 17. decembris 1860.

LXXIV. Causae matrimoniales et sponsalia suapte naturā ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembris 1852.

NB. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coēli-
batu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo.
(Confodiuntur, prior in epist. encycl. *Qui pluribus* 9. novembris
1846, posterior in litteris apost. *Multiplices inter* 10. junii 1851.)

§. IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate dis-
putant inter se christianaē et catholicaē Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22. augusti 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sēdes poti-
tur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20. aprilis 1849.

NB. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures im-
plicite reprobantur, prōposita et asserta doctrina, quam catholici
omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis prin-
cipatu. (Eiusmodi doctrina luculentē traditur. in Alloc. *Quibus*
quantisque 20. april. 1849; in Alloc. *Si semper antea* 20. maji 1850;
in Litt. apost. *Cum catholica Ecclesia* 26. mart. 1860; in Alloc. *Novos*
28. sept. 1860; in Alloc. *Jandudum* 18. mart. 1861; in Alloc. *Maxima quidem* 9. junii 1862.)

§. X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem
catholicam haberi tamquam unicam status religionem, ceteris quibus-
cumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26. julii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* 27. septembris 1852.

LXXIX. *Enimvero* falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore* 15. decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18. martii 1861.

III.

EPISTOLA ENCYCLICA

EMINENTISSIMI CARD. CATERINI, PRAEFECTI CONGREG.
CONCILII, JUSSU SS. D. N. PII P. IX.

SCRIPTA AD OMNES EPISCOPOS.

Perillustris ac
Reverendissime Domine.

Quum SSmus Dominus Noster Pius PP. IX. in supremo Apostolici ministerii fastigio Speculator a Deo datus sit domui Israël, ideo, si ulla sese offerat opportuna occasio, qua veram populi Christiani felicitatem promovere, vel mala eidem illata ac etiam tantummodo forsan impendentia agnoscere queat, eam nulla interposita mora arripit et amplectitur, ut prouidentiae et auctoritatis suae studium impense collocet, aut aptiora remedia alacriter adhibeat.

Jam vero in hac tanta temporum rerumque acerbitate nonnisi singulare Dei beneficio sibi datum judicans, quod in proxima festiva celebritate

centenariae memoriae de gloriose SS. Apostolorum Petri et Pauli martyrio, et canonizationis tot Christianae religionis heroum, amplissimam pulcherri-
mamque solio suo coronam faciant nedum S. R. E. Cardinales, sed etiam tot Reverendissimi Episcopi ex omnibus terrarum partibus profecti, per-
jucunda eorumdem praesentia et opera sapienter sibi utendum statuit, man-
davitque Episcopis in Urbe praesentibus quasdam proponi quaestiones circa
graviora ecclesiasticae disciplinae capita, ut de vero illorum statu certior
factus, id suo tempore decernere valeat, quod in Domino expedire judi-
caverit.

Quae sint hujusmodi disciplinae capita, super quibus ex mandato
Sanctitatis Suae haec Sacra Concilii Congregatio ab Amplitudine Tua re-
lationem et sententiā, quantum ad tuam Dioecesim pertinet, nunc ex-
quirit, luculenter prostant in syllabo quaestionum, quem hic adnectimus.
Si quid vero aliud forte sit, quod abusum sapiat aut gravem in urgenda
sacrorum canonum executione difficultatem involvat, tibi exponere et de-
clarare integrum erit: Apostolica namque Sedes, re mature perpensa, suc-
currere et providere, prout rerum ac temporum ratio postulaverit, procul
dubio non remorabitur.

Ne autem ad hanc relationem cumulate perficiendam Dominationi
Tuae congrua temporis commoditas desit, trium vel quatuor, si opus fue-
rit, mensium spatium a die praesentium Litterarum conceditur. Ceterum
eamdem relationem mittendam cypribus ad ipsam Sanctitatem Suam, vel ad
hanc S. Congregationem.

Interim impensa animi mei sensa ex corde profiteor Amplitudini Tuae,
et fausta quaque ac salutaria adprecor a Domino.

Amplitudinis Tuae

Datum Romae ex S. C. Concilii, die 6. junii 1867.

Uti Frater

P. Card. *Caterini*, Praefectus.

Petrus, Archiep. Sard., Pro-Secretarius.

Quaestiones,

quae ab Apostolica Sede Episcopis proponuntur.

1. Utrum accurate serventur canonicae praescriptiones, quibus omnino interdicitur, quominus haeretici vel schismatici in administratione baptismi patrini munere fungantur?

2. Quanam forma et quibusnam cautelis probetur libertas status pro contrahendis matrimonii: et utrum ipsimet Episcopo vel ejus curiae episcopalni reservetur judicium super status cuiuscumque contrahentis libertate. Quidnam tandem hac super re denuo sancire expediret, pree oculis habita instructione die 21. augusti 1670. s. m. Clementis X. auctoritate edita?

3. Quaenam adhiberi possent remedia ad impedienda mala ex civili quod appellant matrimonio provenientia?

4. Pluribus in locis, ubi haereses impune grassantur, mixta connubia ex Summi Pontificis dispensatione quandoque permittuntur, sub expressa tamen conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, iis praesertim, quae naturali ac divino jure in hisce connubiis requiruntur. Minime dubitare fas est, quin locorum Ordinarii ab hujusmodi contrahendis nuptiis fideles avertant ac deterreant, et tandem, si graves adsint rationes, in exequenda apostolica facultate dispensandi super mixtae religionis impedimento, omni cura studioque advigilent; ut dictae cōditiones, sicuti par est, in tuto ponantur. At enimvero postquam promissae fuerint, sancte diligenterque adimpleri solent, et quibusnam mediis posset prae-
caveri, ne quis a datis cautionibus servandis temere se subducatur?

5. Quomodo enitendum, ut in praedicatione verbi Dei sacrae conciones ea gravitate semper habeantur, ut ab omni vanitatis et novitatis spiritu praeserventur immunes, itemque omnis doctrinae ratio, quae traditur fidelibus, in verbo Dei re ipsa contineatur, ideoque ex scriptura et traditionibus, sicut deceat, hauriatur?

6. Dolendum summopere est, ut populares scholae; quae patent omnibus eis queant, et populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, eximantur pluribus in locis ab Ecclesiae auctoritatē moderatrice vi et influxu, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim: quidnam itaque effici posset, quo congruum tanto malo remedium afferatur, et Christi fidelibus suppetat catholicae instructionis et educationis adjumentum?

7. Maxime interest, ut adolescentes clerici humanioribus litteris severioribusque disciplinis recte imbuantur. Quid igitur praescribi posset ad Cleri institutionem magis ac magis fovendam accommodatum, praesertim ut latinarum litterarum, rationalis philosophiae ab omni erroris periculo intaminatae, sane theologiae jurisque canonici studium in seminariis potissimum dioecesanis floreat?

8. Quibusnam mediis excitandi essent Clerici; qui praesertim sacerdotio sunt initiati, ut emenso scholarum curriculo, studiis theologicis et canonici impulsius vacare non desistant? Praeterea quid statuendum efficiendumque, ut qui ad sacros ordines jam promoti, excellentiori ingenio praediti, in decurrentis philosophiae ac theologiae studiis praestantiores habiti sunt, possint in divinis sacrisque omnibus disciplinis et nominatim in divinarum Scripturarum, Sanctorum Patrum, ecclesiasticae historiae sacrique juris scientia penitus excoli?

9. Juxta ea, quae a Concilio Tridentino (c. 16. Sess. 23. de Reform.) praescribuntur, quicumque ordinatur illi Ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, adscribi debet, ubi suis fungatur mune-

ribus nec incertis vagetur sedibus: quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacerorum exercitium interdicitur. Hae praescriptiones nec plene neque ubique servantur. Quomodo ergo his praescriptionibus supplendum, et quid statui posset, ut clerici propriae dioecesi servitium et suo Praesuli reverentiam et obedientiam continuo praestent?

10. Plures prodierunt et in dies prodeunt congregations et instituta virorum et mulierum, qui votis simplicibus obstricti piis muneribus obeundis se addicunt: Expeditne, ut potius congregations ab Apostolica Sede probatae augeantur latius et crescant, quam ut novae eundem prope finem habentes constituantur et efformentur?

11. Utrum sede episcopali ob mortem vel renunciationem vel translationem Episcopi vacante, capitulum Ecclesie cathedralis in vicario capitulari eligendo plena libertate fruatur?

12. Quanam forma indicatur et fiat concursus, qui in provisione ecclesiistarum parochialium peragi debet, juxta decretum Concilii Tridentini (Sess. 24. de Reform. c. 18.) et constitutionem s. m. Bened. XIV. quae die 14. Dec. 1742. data, incipit: „Cum illud“?

13. Utrum et quomodo expediret numerum causarum augere, quibus parochi ecclesiis suis jure privari possunt: necnon et procedendi formam laxius praestituere, qua ad hujusmodi privationes facilius, salva justitia, possit deveneri?

14. Quomodo executioni traditur, quod de suspensionibus *ex informata conscientia* vulgo dictis, decernitur a Concilio Trid. (c. 1. Sess. 14. de Reform.). Et circa hujus decreti sensum et applicationem estne aliquid animadvertendum?

15. Quonam modo Episcopi judiciariam, qua pollut, potestatem in cognoscendis causis ecclesiasticis, potissimum matrimonialibus, exerceant, et quonam procedendi atque appellations interponendi methodo utantur?

16. Quaenam mala proveniant ex doméstico famulatu quem familiis catholicis praestant personae vel sectis proscriptis vel haeresi addictae vel etiam non baptizatae: et quonam hisce malis posset opportune remedium afferri?

17. Quidnam circa sacra coemeteria adnotandum sit: quinam hac de re abusus irrepserint et quomodo tolli possint?

IV.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE IX.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

DIE XXVI. JUNII MDCCCLVII.

[Manifestat desiderium jampridem habitum convocandi concilii oecumenici.]

Venerabiles Fratres.

Singulari quidem inter maximas Nostras acerbitates gaudio et consolatione afficimur, cum iterum gratissimo conspectu ac frequentia vestra perfrui, vosque coram alloqui in hoc amplissimo conventu possimus, Venerabiles Fratres. Vos enim ex omnibus terrarum regionibus desiderii Nostri significatione et vestrae pietatis instinctu in hanc Urbem adducti, vos eximia religione praestantes, in sollicitudinis Nostrae partem vocati nihil potius habetis, quam calamitosis hisce temporibus omnem in re catholica tuenda animarumque salute curanda vestram opem Nobis ferre, multiplices moerores Nostros lenire, ac ampliora in dies vestrae fidei, voluntatis et obsequii erga hanc Petri cathedralm experimenta praebere. Hoc vestro adspectu recreamur vehementer, hoc novo pietatis et amoris vestri arguento ac testimonio de illis libenter recordamur, quae usque ad hanc diem concordibus animis, non uno studiorum genere, non intermissis curis, non deterriti adversis certatim edidistis. Quae porro rerum suavissimarum memoria alte Nobis in animo infixa semperque mansura illud efficit, ut gratus Nostrae caritatis sensus, multo nunc quam alias ardentior atque vividior, erga universum vestrum ordinem perspicua testificatione et luculentioribus signis palam publiceque gestiat erumpere.

Sed si haec leviter raptimque perstricta superiorum temporum recordatio Nos adeo percelligit atque solatur, vos ipsos, Venerabiles Fratres, facile intellecturos arbitramur, qua laetitia exultet, qua caritate flagret hodie cor Nostrum, dum iterum observantia et frequentia vestra perfruimur, qui ex remotioribus etiam catholicis provinciis, Nostro desiderio perspecto, una omnes pietate et amore acti ad Nos convenistis. Nihil enim Nobis optatius, nihil jucundius esse potest, quam vestro in coetu versari, vestraeque Nobiscum conjunctionis fructum capere, in iis potissimum solemnibus per-

agendis, in quibus omnia, quae versantur ante oculos, de catholicac Ecclesiae unitate, de immobili unitatis fundamento, de praeclaro ejus tuendae servandaeque studio, ac gloria loquuntur. De illa scilicet admirabili unitate loquuntur, qua, veluti quadam vena, Divini Spiritus charismata et dona in mysticum Christi corpus manant, ac in singulis ejus membris tanta illa fidei et caritatis exempla excitant, quae universum hominum genus in admirationem impellunt. Agitur enim, Venerabiles Fratres, hoc tempore, ut Sanctorum honores decernantur tot inclytis Ecclesiae heroibus, quorum plerique gloriosum martyrii certamen certantes, alii pro tuendo apostolicae cathedrae, in qua veritatis et unitatis est centrum, Principatu, alii pro integritate ac unitate fidei vindicanda, alii pro restituendis catholicae Ecclesiae hominibus schismate avulsis, pretiosam mortem libenter oppetierunt, adeo ut mirum divinae Providentiae consilium satis eluceat, quae tum maxime exempla adserendae catholicae unitatis et triumphos adsertorum proposuit, cum catholica fides et apostolicae Sedis auctoritas infestioribus inimicorum artibus conflictaretur. Agitur praeterea, ut memoriam diei auspicatissimi solemni ritu recolamus, quo die Beatissimus Petrus et apostolus ejus Paulus ante annos mille octingentos illustri martyrio in hac urbe perfuncti, immobilem catholicae unitatis arcem suo sanguine conserarunt. Quid igitur, Venerabiles Fratres, Nobis optabilius et tantorum Martyrum triumphis congruentius esse poterat, quam ut in eorum honoribus pulcherrima catholicae Ecclesiae unitatis exempla ac spectacula, majore qua possent significatione et luce fulgerent? Quid aequius erat, quam ut haec ipsa de Apostolorum Principum triumphis gratulatio, quae ad totius catholici nominis religionem pertinet, vestro etiam adventu studioque celebaretur? Quid dignius demum, quam ut tot tantarumque rerum splendor pietatis laetitiaeque vestrae accessione fieret illustrior?

At non solum apta rebus et grata Nobis, Venerabiles Fratres, haec pietas et concors cum apostolica Sede conjunctio, sed praeterea tanti momenti est, ut maximi ex ea ac salutares admodum fructus sive ad compri mendam impiorum audaciam, sive ad communem fidelium et vestram singulorum utilitatem, omnino debeant existere. Ex hac nimirum religionis oppugnatores intelligent necesse est, quam vigeat, qua vita polleat catholicca Ecclesia, quam infensis animis insectari non desinunt: dissent, quam inepto stultoque convicio eam veluti exhaustam viribus et suis defunctam temporibus incusarint: dissent demum, quam male suis triumphis plaudant, ac suis consiliis et conatibus fidant, satis perspicientes, tantam virium compagem convelli non posse, quam Iesu Christi spiritus et divina virtus in apostolicae confessionis petra coagmentavit. Profecto si unquam alias, hoc maxime tempore, Venerabiles Fratres, omnibus hominibus pateat necesse est, ibi solum animos arctissima inter se conjunctione contineri posse, ubi unus idemque Dei spiritus omnibus dominatur, at Deo relicto, Ecclesiae auctoritate contempta, homines felicitatis ejus, quam per scelera quaerunt, expertes, in turbulentissimis tempestatibus misere dissidiisque jactari.

Sed si fidelium communis spectetur utilitas, quidnam, Venerabiles Fratres, opportunius ac salutaris ad incrementum obsequii erga Nos et apostolicam cathedram catholicis gentibus esse potest, quam si videant, quanti a Pastoribus suis catholicae unitatis jura et sanctitas fiat, eamque ob causam cernant eos magna terrarum spatia marisque transmittere, nec ullis deterrei incommodis, quominus ad romanam cathedram advolent, ut in Nostrae humilitatis persona Petri Successorem et Christi in terris Vicarium revereantur? Hac nempe auctoritate exempli longe melius, quam subtiliori qualibet doctrina agnoscent, qua veneratione, obedientia et obsequio erga nos uti debeant, quibus in persona Petri a Christo Domino dictum est: „Pasce agnos meos, pasce oves meas,“ iisque verbis suprema sollicitudo ac potestas in universam Ecclesiam credita est atque confirmissa.

Quin etiam vos ipsi, Venerabiles Fratres, vos in sacro vestro ministerio obeundo ex hac erga apostolicam Sedem observantia insignem fructum laturi estis. Quo enim majora vos necessitudinis fidei amorisque vincula cum angulari petra mystici aedificii devinxerint, eo magis etiam, ut omnium Ecclesiae temporum memoria docet, eam fortitudinem induemini ac robur, quod ab amplitudine ministerii vestri contra hostiles impetus, et adversitates rerum postulatur. Quid enim aliud Christus Dominus intelligi voluit cum Petrum tuendae fratrum firmitati praeficiens: „Ego, inquit, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos?“¹ Nimirum, ut S. Leo M. innuit, „specialis cura Petri a Domino suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis caeteris conferatur“². Quapropter Nos semper persuasum habuimus, fieri non posse, ut ejus fortitudinis, qua praecipuo Domini munere cumulatus est Petrus, non aliqua semper in vobis fieret accessio, quoties prope ipsam Petri personam, qui suis in successoribus vivit, praesentes consisteretis, ac tantummodo solum attingeretis hujus urbis, quam sacri Apostolorum Principis sudores et triumphalis sanguis irrigavit. Immo etiam, Venerabiles Fratres, nunquam Nos dubitavimus, quin ex ipso sepulcro, ubi Beatissimi Petri cineres ad religionem orbis sempiternam quiescunt, quaedam. arcana vis et salutaris virtus existat, quae Pastoribus dominici gregis fortis ausus, ingentes spiritus, magnanimos sensus inspiret, quaeque instaurato eorum robore efficit, ut impudens hostium audacia, catholicae unitatis virtuti et potestati impar, impari etiam certamine residat et corruat.

Nam quid Nos tandem dissimulemus, Venerabiles Fratres? Jamdiu in acie contra callidos et infestos hostes pro iustitiae et religionis defensione versamur. Tam diurna, tam ingens dimicatio geritur, ut omnium,

¹ Luc. c. 22. v. 32.

² Ser. 3. in anniv. Ass. suae.

quotquot in sacra militia censentur, simul conjunctae vires, non justo maiores numero ad resistendum esse videantur. Nos quidem Ecclesiae causam, libertatem et jura pro supremi muneris Nostrri ratione propugnantes, usque ad hanc diem Dei Omnipotentis ope ab exitialibus periculis incolumes fuimus; sed tamen rapimur et jactamur adversis ventis et fluctibus, non quidem timentes naufragium, quod Christi Domini praesens auxilium timere non sinit, sed intimo sane dolore affecti ob tot novarum doctrinorum monstra, tot impie in Ecclesiam ipsam et apostolicam Sedem commissa, quae quidem jam alias damnata ac reprobata¹, palam nunc iterum pro sacri nostri muneris officio reprobamus et condemnamus. In hac tamen praesentis temporis ratione, et in ea quam capimus ex conspectu vestro laetitia, ultrò co[m]memorare praetermittimus tot sollicitudines, curas, angores, qui cor Nostrum gravi ac diurno vulnere excruciant ac torquent. Haec potius omnia apud altaria afferemus, quae Nostris assidue oneravimus precibus, respersimus lacrimis; haec omnia clementissimo misericordiarum Patri instauratis obsecrationibus aperiemus iterum ac revelabimus, in Eo omnino fidentes, qui Ecclesiae suae incolument et gloriam tueri novit et potest, quique judicium faciens omnibus injuriam patientibus, de causa Nostra et aduersantium Nobis, non fallente die, judicio judicabit.

Interim vero vos, Venerabiles Fratres, pro spectata vestra sapientia recte intelligitis, quam vehementer intersit ad occurrentum impiorum consiliis et tot detimenta Ecclesiae sarcenda, ut quae vestrum omnium cum Nobis et apostolica hac Sede concordia tantopere enitet, altius in dies defixis radicibus roboretur. Quin immo, hic catholicae conjunctionis amor, qui ubi semel inhaesit animis, ad aliorum etiam utilitatem late dimanat, hic profecto vos conquiescere non sinet, nisi pariter in eadem catholica concordia ac indivulsa fidei, spei caritatisque consensione ecclesiasticos omnes viros quorum duces estis, et universos fideles vobis concréditos una opera praestare connitamini. Nullum sane spectaculum Angelorum atque hominum oculis pulchrius esse poterit, quam si in hac peregrinatione nostra, qua ab exilio ad patriam pergimus, aemula imago referatur et ordo peregrinationis illius, qua duodecim israëliticae tribus ad felices promissionis oras conjunctis itineribus contendebant. Ingrediebantur enim omnes, singulæ suis discretac auctoribus, distinctæ nominibus, direpta locis, parentque suis quaque familia patribus, bellatorum manus ducibus, hominum multitudo principibus; sed tamen unus erat tot ex gentibus populus, qui eidem D[omi]no et ad eamdem supplicabat aram, unus qui iisdem legibus, eidem sacerdoti maximo A[bra]ham, eidem Dei legato obtemperabat Mosi, unus, qui pari jure in bellorum laboribus et victoriarum fructibus utebatur, unus demum; qui pariter sub tentoriis agens, et admirabili vescens cibo, eamdem concordibus votis adspirabat ad metam.

Huiusmodi vos conjunctioni perpetuo refinendae operam daturos, tot

¹ Alloc. Consist. 29. oct. 1866,

jam pignoribus vestrae fidei concordiaeque acceptis, certum omnino ac exploratum habemus. Spondet id Nobis spectata vestra integritas ac praestans virtus, quae semper ubique sui similis, et omni periculo major effulgit: spondet illud ingens studium et ardor, qui vos ad aeternam hominum salutem curaudam, et ad divinam amplificandam gloriam rapit atque urget: spondet id demum ac certissime spondet sublimis illa oratio, quam Christus ipse ante extremos cruciatus suos ad Patrem obtulit, illum precatus, ut „omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in Te, ut et ipsi in nobis unum sint“¹; cui preicationi fieri nunquam potest, ut Divinus non adnuat Pater.

Nobis autem, Venerabiles Fratres, nihil optabilius est, quam ut eum fructum, quem maxime salutarem ac faustum Ecclesiae universae fore dicimus, ex hac eadem vestra cum Apostolica Sede conjunctione capiamus. Jamdiu enim animo agitavimus, quod pluribus etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum pro rerum adjunctis innotuit, ac illud etiam, ubi primum optata Nobis opportunitas aderit, efficere aliquando posse confidimus, nempe ut sacrum oecumenicum et generale omnium Episcoporum catholici Orbis habeamus Concilium, quo collatis consiliis conjunctisque studiis necessaria ac salutaria remedia, tot praesertim malis, quibus Ecclesia premitur, Deo adjuvante, adhibeantur. Ex hoc profecto, uti maximam spem habemus, eveniet, ut Catholicae veritatis lux, errorum tenebris quibus mortaliū mentes obvolvuntur amotis, salutare suum lumen diffundat, quo illi veram salutis et justitiae semitam, adspirante Dei gratia, agnoscant et instant. Ex hoc item eveniet, ut Ecclesia veluti invicta castrorum acies ordinata hostiles inimicorum conatus retundat, impetus frangat, ac de ipsis triumphans Jesu Christi Regnum in terris longe lateque propaget ac proferat.

Nunc vero ut vota Nostra impleantur, utque Nostrae vestraeque curae uberes justitiae fructus Christianis afferant populis, ad Deum omnis justitiae et bonitatis fontem erigamus oculos, in Quo omnis plenitudo praesidii et gratiae ubertas sperantibus collocata est. Cum autem advocatione apud Patrem habeamus Jesum Christum Filium Ejus Pontificem magnum qui penetravit coelos, qui semper vivens interpellat pro nobis, qui in admirabili Eucharistiae Sacramento nobiscum est omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, hunc Redemptorem amantissimum, Venerabiles Fratres, ponamus ut signaculum super cor nostrum, ut signaculum super brachium nostrum, atque ad altare illud, ubi ipse Auctor gratiae thronum misericordiae constituit, ubi omnes, qui laborant et onerati sunt, reficiendi cupidus exspectat, nostras assidue preces omni cum fiducia deferamus. Eum itaque sine intermissione humiliterque obsecremus, ut Ecclesiam suam a tantis calamitatibus et omni discrimine eruat, eique laetam pacis vicem victoriampque de hostibus donet, ut Nobis ac vobis novas usque vires ad sui Nominis gloriam provehendam addat, ut illo igne, quem venit mittere

¹ S. Joan. c. 17. v. 21.

in terras, hominum animos inflammet, ac errantes omnes potenti sua virtute ad salutaria consilia convertat. Vestrae autem pietatis erit, Venerabiles Fratres, illud omni ope curare, ut crediti vobis fideles in cognitione Domini nostri Jesu Christi in dies crescant, Eumque in Sacramento Augusto praesentem, constanti fide venerentur, redament ac frequenter invisant, nihilque erit vestro studio curaque dignius, quam ut, vigilantibus ad Ejus aram ignibus, vigilet etiam in cordibus fidelium gratus pietatis sensus, vigilet indeficiens flamma caritatis. Quo vero facilius Deus ad obsecrationes nostras aurem suam propitiis inclinet, semper et enixe petamus suffragia, primum quidem Deiparae Virginis Mariae Immaculatae, quo nullum apud Deum potentius patrocinium; deinde Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quorum Natalitia acturi sumus, necnon omnium Caelitum Sanctorum, qui cum Christo regnantes in coelis munera divinac largitatis hominibus sua deprecatione conciliant.

Denique Vobis, Venerabiles Fratres, ac aliis omnibus Venerabilibus Fratribus catholicarum gentium Episcopis, item fidelibus omnibus Vestrae atque illorum curae concreditis, quorum pietatis et amoris eximia semper testimonia accepimus et continenter in dies experimur, singulis universis Apostolicam Nostram Benedictionem cum omni felicitatis voto conjunctam, ex intimo corde amantissime impertimus.

V.

LITTERAE EPISCOPORUM QUINGENTORUM,

QUI AD

18. CENTENARIUM S. PETRI APOSTOLI

ROMAE A. 1867. CONGREGATI

SUMMO PONTIFICI PIO P. IX. CONGRATULANTUR

DE ANNUNTIATO CONCILIO OECUMENICO.

CALENDIS JULII 1867.

Beatissime Pater!

Apostolica Tua vox iterum auribus nostris insonuit nuncians novum aeternae veritatis triumphum, sanctorum caelitum gloria refulgentem, et antiquum urbis aeternae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sanguine consecratae decus, quorum martyrii memoria saecularis rediens totum hodie

Orbem Christianum laetitia afficit, et fidelium mentes ad salutarem maximarum rerum cogitationem extollit.

Jucundissima apostolici oris ad festa talia nos peramanter invitantis verba percipere minime potuimus, quin continuo subiret animum solemnum illorum memoria, quae, ante annos quinque, Tuo lateri adstantes in urbe peregimus, et grati recordaremur, qua tunc nos benignitate et humilitate habueris, qua nos paterna charitate fueris in illa faustissima gratulatione complexus. Haec suavis recordatio, haec amantissimi Patris non tam jubentis quam optantis vox illam animis nostris ad romanum iter capessendum alacritatem adjecit, quam Tibi, Beatissime Pater! satis luculenter amplissima haec Antistitum frequentia, qui tertium ad Te confluxerunt, et communis omnium pietas ac fidelis observantia declarant. Tam ingenti Antistitum numero, cui vix simile quid in praeteritarum aetatum memoria reperitur, par solummodo est Tua in nos charitas ac benevolentia, par unice obsequii amorisque in Te nostri magnitudo. Hisce autem causis vehementius hodie excitamus, ut eximias virtutes Tuas, Sedem Apostolicam novo illustrantes lumine; novo etiam prosequamur honore, et augustissimum Tuum animum graves inter, quibus premeris, at non concuteris; aerumnas, iterato amoris et admirationis testimonio coram solemur.

Sed dum votis obsecuti sumus Tuis, alium etiam optatissimum nobis spectavimus fructum, ut scilicet cor nostrum tot Ecclesiae malis sauciatum paterni Tui vultus recrearemur adspectu, fraternalm inter nos concordiam magis magisque roboraremus, ac communem Tibi nobisque solatii et gaudii materiem quaereremus.

Hanc vero laetandi causam Tu maximam nobis praestas, dum tot nova sanctorum nomina fastis Ecclesiae inscribens homines potenter edoces, quanta sit quamque inexhausta matris Ecclesiae foecunditas. Hanc triumphantium gloriosus martyrum sanguis exornat; hanc inviolatae confessionis candida induit virginitas, hujus floribus nec rosae nec lilia desunt. Tu, coelestia virtutum praemia mortalibus ostendens, oculos a rerum inanum conspectu ad jucundam coeli gloriam erigere doces. Tu, dum homines mirandis ingenii sui industriaeque operibus exultant, triumphale sanctorum Dei vexillum attollens, illos admones, ut super ipsam rerum adspectabilium et gaudiorum humanorum pompam ac speciem, oculos ad Deum, omnis sapientiae et pulchritudinis fontem, convertant, ne ii, quibus dictum fuit: *Subjicite terram et dominamini, obliviscantur unquam supremi illius praecepti: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*

Ast qui suspicientes coelestem Jerusalēm, novorum sanctorum gloria gestientem, mirabilia Domini humili corde agnoscimus et profitemur, magis etiam ad haec celebranda incendimur, dum hodierna saeculari solemnitate immotam contemplamur petrae illius firmitatem, super quam Dominus ac Redemptor noster Ecclesiae suae molem perpetuitatemque constituit. Divina enim virtute factum cernimus, ut Petri Cathedra, organum veritatis,

unitatis centrum, fundamentum et propugnaculum libertatis Ecclesiae, tot inter rerum adversitates et non intermissa hostium molimina, octodecim jam elapsis plane saeculis, stet firma incolumnisque; dum regna et imperia surgunt ruuntque vicissim, stet veluti secura pharus in procelloso vitae aequore mortalium iter dirigens tutamque stationem et portum salutis sua luce commonstrans.

Hac fide, hisce sensibus ducti loquebamur olim, Beatissime Pater, cum ante quinquennium Tuo throno adstantes, sublimi tuo ministerio debitum testimonium dedimus, votaque pro Te, pro civili Tuo principatu, pro justitiae ac religionis causa palam nuncupavimus. Hac fide ducti verbis scriptoque eo tempore professi sumus, nihil nobis potius et antiquius esse, quam ut, quae Tu Ipse credis ac doces, nos quoque credamus et dceamus, quos rejicis errores, nos item rejiciamus, Te duce unanimes incedamus in viis Domini, Te sequamur, Tibi adlaboremus, ac Tecum pro Domino in omne discriminem fortunamque parati decertemus. Cuncta haec, quae tunc declaravimus, nunc denuo piissimo cordis sensu confirmamus, idque universo orbi testatum esse volumus; grato simul recolentes animo plenoque laudantes assensu, quae a Te in salutem fidelium et Ecclesiae gloriam ab eo quoque tempore gesta fuerunt.

Quod enim Petrus olim dixerat: *Non possumus quae vidimus et audi-
vimus non loqui*, Tu pariter sanctum et solemne habuisti, ac nunquam non habere luculenter demonstras. Non enim unquam obticuit os Tuum; Tu aeternas veritates annunciare, Tu saeculi errores, naturalem supernaturalemque rerum ordinem atque ipsa ecclesiasticae civilisque potestatis fundamenta subvertere minitantes, apostolici eloquii gladio configere, Tu caliginem novarum doctrinarum pravitate mentibus offusam dispellere, Tu quae necessaria ac salutaria sunt tum singulis hominibus, tum christianaem familiæ, tum civili societati intrepide effari, suadere, commendare supremi Tui ministerii es arbitratus, ut tandem cuncti assequantur, quid hominem catholicum tenere, servare ac profiteri oporteat. Pro qua eximia cura maximas Sanctitati Tuae gratias agimus, habituri sumus sempiternas; Petrumque per os Pii locutum fuisse credentes, quae ad custodiendum depositum a Te dicta, confirmata, prolata sunt, nos quoque dicimus, confirmamus, annuntiamus, unoque ore atque animo rejicimus omnia, quae divinae fidei, saluti animarum, ipsi societatis humanae bono adversa, Tu ipse reprobanda ac rejicienda judicasti. Firmum enim menti nostrae est, alteque defixum, quod Patres Florentini in decreto Unionis unanimes definiverunt: Romanum Pontificem Christi Vicarium; totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Sed alia praeterea sunt, quae nostram in Te charitatem, gratosque animi sensus provocant. Magna enim cum jucunditate admiramur heroicam illam virtutem, qua perniciosis saeculi machinationibus obsistendo,

dominicum gregem in via salutis servare, contra seductiones erroris munire, contra vim potentium et falsorum sapientum astutiam tueri adnus es. Admiramus studium illud fatigari nescium, quo emolumenta universae Ecclesiae, apostolica providentia Orientis et Occidentis populos complexus, promovere nunquam destitisti. Admiramus magnificum illud, quod generi hominum in pejus quotidie ruenti Pastoris boni spectaculum exhibes, ipsorum etiam veritatis inimicorum animos percellens, oculosque ad se vel invitatos ipsa rerum praestantia et dignitate convertens.

Perge igitur Pastorum Pastoris vicaria potestate fungens, divini Tui muneris partes Deo confisus tueri; perge vitae aeternae subsidiis pascere Tibi creditas oves; perge sanare contritiones Israël, et agnos Christi quærere qui perierant. ~~Fax~~ Deus Omnipotens, ut, qui amoris Tui et officii sui immemores voci Tuuae adhuc resistunt, meliora secuti consilia ad Te tandem redeuntes luctum Tuum in gaudium convertant. Tuarum pastoralium curarum fructus, divina benignitate aspirante, incrementum capiant in dies; felix animarum conversio, quam Deus Te administro quotidie operatur, magis magisque amplificetur; Tuque virtutum Tuarum vi et glorioso laborum successu animabus Christo lucrificatis, prolatisque regni ejus finibus, cum Domino et Magistro vere exclamare possis: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet.*

Haec immo, Beatissime Pater, salutaris ac felicioris aevi indicia conspiciuntur. Testis amor ille, quem cunctarum nationum fideles ad quaevis pro Te exantlanda parati commonstrant, dum vires corporis et animi atque adeo vitam ipsam pro Ecclesiae juribus et Apostolicae Sedis gloria adserenda impendere ac dicare gestiunt. Testis prona illa catholicarum mentium reverentia, quae Te supremum Pastorem cupide intuetur, quae Apostolicae Cathedrae oracula laetanter excipit, iisque firmissimo adsensu et obsequio adhaerere gloriatur. Testis illa filialis animi indoles, qua populus Christianus vestigia fidelium sequens, qui olim ad pedes Apostolorum facultates suas sponte deferebant, rerum Tuarum angustiis hucusque occurrit et continenter eas sublevare non desinit. Haec filialis argumenta pietatis intimo pectore commoti cernimus, nunquam non operam daturi, ut sacer hic ignis in cordibus fidelium accensus foveatur et vigeat, utque tum nostro tum cleri totius exemplo animati omnes praeclaram illam voluntatem ac liberalitatem provehant, Tibique ad aeternam eorum salutem plenius procurandam temporalia adjumenta suppeditent.

Qui autem fidelium omnium erga Te pietate tantopere afficimur, Beatissime Pater, peculiaris gaudii fructum capimus ex illa fide, ex illo amore et obsequio, quo digni aeternae Urbis cives Te Patrem, Te Principem indulgentissimum complectuntur. Felicem populum ac vere sapientem! qui novit, quae sibi amplitudo et gloria ex Petri Sede in Urbe constituta proveniat, qui intelligit, non alios terminos divinae erga se benignitati definitos fore, quam quos ipse sibi in sua erga Christi Vicarium observantia et in Principem Sacratissimum amore constituerit. Haec concupisces, haec

sequere, romana gens; sit haec constans, sit immota pietas; sit haec romana Urbs, quam Christianus Orbis caeterarum principem suamque lubens agnoscit, caeteris exemplo praelucens, sit cacestibus gratiis donisque florens, virtutibus opibusque beata.

Id, Beatissime Pater! Tui Pontificatus splendor effecit, quo non Urbs solum Tua, sed universus orbis illustratur, cujusque admiratio ita nos movet, ut ex illo exemplum pro sacro nostro ministerio petendum esse existimemus.

At non minus Tua vox suaviter illabens pectoris ima pervadit, quam virtutum Tuarum pontificalium imago animos nostros percellit.

Summo igitur gaudio repletus est animus noster, dum e sacrato ore Tuo intelleximus, tot inter praesentis temporis discrimina eo Te esse consilio, ut maximum, prout ajebat inclytus Tuus praedecessor Paulus III., in maximis rei Christianae periculis remedium Concilium oecumenicum convokes.

Annuat Deus huic Tuo proposito, cuius ipse Tibi mentem inspiravit; habeantque tandem aevi nostri homines, qui infirmi in fide semper discentes et nunquam ad veritatis agnitionem pervenientes omni vento doctrinae circumferuntur, in sacrosancta hac Synodo novam praesentissimamque occasionem accedendi ad sanctam Ecclesiam, columnam ac firmamentum veritatis, cognoscendi salutiferam fidem, perniciosos rejiciendi errores; ac fiat, Deo propitio et conciliatrice Deipara Immaculata, haec Synodus grande opus unitatis, sanctificationis et pacis, unde novus in Ecclesiam splendor redudet, novus regni Dei triumphus consequatur.

Et hoc ipso Tuae providentiae opere denuo exhibeantur mundo immensa beneficia, per Pontificatum romanum humanae societati asserta. Pateat cunctis, Ecclesiam eo, quod super solidissima Petra fundetur, tantum valere, ut errores depellat, mores corrigat, barbariem compescat, civiliisque humanitatis mater dicatur et sit. Pateat mundo, quod divinae auctoritatis et debitae eidem obedientiae manifestissimo specimine in divina Pontificatus institutione dato, ea omnia stabilita et sacra sint, quae societatum fundamenta ac diuturnitatem solident.

Quod ubi perspexerint principes et populi, non permittent, ut augustinissimum Tuum jus, omnis auctoritatis, omnium jurium certissima sanctio, impune conculcetur; imo ipsi curabunt, ut Tua Tibi constet et potestatis libertas et libertatis potestas, adsint subsidia ad sublime Tuum illisque ipsis summe proficuum ministerium efficaciter exercendum; nec patientur, ut vox Tua a gregibus Ecclesiae sanctae addictis prohibeatur, ne pabulo aeternarum veritatum privati misere contabescant, laxatiſve apud eos obedientiae et reverentiae erga divinum in Te residens magisterium vinculis, illa quoque auctoritas, qua reges regnant et legum conditores justa decernunt, in certissimum status civilis detrimentum labefactetur.

Haec est spes nostra, quam corde foveamus. Hoc continuum precum nostrarum est semperque erit argumentum.

Macte ergo animo, Beatissime Pater! perge navem Ecclesiae inter medias procellas secura, ut suevisti, manu ad portum adducere. Mater divinae gratiae, quam Tu pulcherrimo honoris titulo salutasti, intercessionis suae auxilio tutabitur semitam Tuam. Erit Tibi in stellam maris, quam invicta, uti soles, fiducia suspiciens, non frustra diriges cursum ad Illum, qui per eam ad nos venire voluit. Faventes habebis caelestes Sanctorum choros, quorum beatam gloriam magno studio continuaisque apostolicis conatibus exquisitam mundo exultanti tum diebus istis, tum antehac annuntiasti. Assistent Tibi Principes Apostolorum Petrus et Paulus, precibus potentibus sollicitudinem Tuam secundantes. In puppi, quam Tu nunc occupas, Petrus olim sedebat; ipse apud Dominum intercedet, ut quae navis ipsius suffragiis adjuta octodecim saeculis altum vitae humanae mare feliciter percurrit, Te Duce, opimis immortalium animarum spoliis onusta, coelestem portum plenis subeat velis. Quod ut fiat, nos curarum, precum et laborum Tuorum fideles devotosque socios habebis, qui divinam clementiam nunc quoque deprecamur, ut Tibi omni benedictione colesti cumulato serventur augeanturque vires; ut novis in dies animarum lucris dives sit vita Tua, sit longaeva in terris, sit olim in coelis beata!

- † Marius Cardinalis Mattei, Episc. Ostien. et Veliernen. et S. Collegii Decanus.
- † Constantinus Card. Patrizi, Episc. Portuen. et S. Rufinae.
- † Aloisius Card. Amat, Episc. Praenestin.
- † Ludovicus Card. Altieri, Episc. Albanen.
- † Nicolaus Card. Clarelli Paracciani, Episc. Tusculan.
- † Philippus Card. De Angelis, Archiep. Firman.
- † Engelbertus Card. Sterckx, Archiep. Mechlinien.
- † Aloisius Card. Vannicelli Casoni, Archiep. Ferrarien.
- † Cosmas Card. Corsi, Archiep. Pisan.
- † Dominicus Card. Carafa de Traetto, Archiep. Beneventan.
- † Xistus Card. Riario Sforza, Archiep. Neapolitan.
- † Jacobus Maria Card. Mathieu, Archiep. Bisuntin.
- † Franciscus Augustus Card. Donnet, Archiep. Burdigalen.
- † Carolus Aloisius Card. Morichini, Episc. Aesin.
- † Joachim Card. Pecci, Episc. Perusin.
- † Antonius Benedictus Card. Antonucci, Episc. Anconitan.
- † Henricus Card. Orfei, Archiep. Ravennaten. et administrator Dioecesis Cesenaten.
- † Joseph Maria Card. Milesi, Abbas Trium Fontium.
- † Michael Card. Garcia Cuesta, Archiep. Compostellan.
- † Joseph Aloisius Card. Trevisanato, Patr. Venetiarum.
- † Ludovicus Card. De La Lastra-y-Cuesta, Archiep. Hispalen.
- † Philippus Maria Card. Guidi, Archiep. Bononien.
- † Henricus Maria Card. de Bonnechose, Archiep. Rothomagen.
- † Paulus Card. Cullen, Archiep. Dublinen.
- † Rogerius Aloisius Antici Mattei, Patriarcha Constantinop.
- † Paulus Ballerini, Patriarcha Alexandrin.
- † Paulus Petrus Mashad, Patriarcha Antiochen. Maronitarum.
- † Gregorius Jussef, Patr. Antiochen. Graec. Rit. Melchitar.

Litterae Episcoporum quingentorum.

- † Joseph Valerga, Patr. Hyerosolimitan.
- † Thomas Iglesias y Barcones, Patriarcha Indiar. Occiden.
- † Antonius Hassun, Primas Constantinop. Arm. rit.
- † Joannes Simor, Primas Regni Ungariae, Archiep. Strigon.
- † Aloisius Maria Cardelli, Archiep. Acrian.
- † Laurentius Trioche, Archiep. Babylonen.
- † Meletius, Archiep. Drabischen. Graec. rit.
- † Petrus Apelian, Archiep. Marascan. Arm. rit.
- † Ignatius Kalybgian, Archiep. Amasien. Arm. rit.
- † Petrus Riccardus Kenrick, Archiep. S. Ludovici.
- † Petrus Cilento, Archiep. Rossanen.
- † Alexander Asinari de Sanmarzano, Archiep. Ephesi
- † Alexander Angeloni, Archiep. Urbinaten.
- † Georgius Hurmuz, Archiep. Siunien. Arm. rit.
- † Aloisius Clementi, Archiep. Epis. Ariminien.
- † Felicissimus Salvini, Archiep. Camerinen.
- † Eduardus Hurmuz, Archiep. Siracen. Arm. rit.
- † Raphaël d'Ambrosio, Archiep. Dyrrhachien.
- † Julius Arrigoni, Archiep. Lucan.
- † Joseph de Bianchi Dottula, Archiep. Tranen., Nazaren. et Barolen.
- † Eustachius Gonella, Archiep. Episc. Viterbien. et Tuscanen.
- † Joseph Rotundo, Archiep. Tarentin.
- † Gregorius de Luca, Archiep. Compsan., administrator Campanien.
- † Joannes Hagian, Archiep. Caesaren. Armen. rit.
- † Joannes Baptista Purcell, Archiep. Cincinnaten.
- † Renatus Franciscus Regnier, Archiep. Cameracen.
- † Maximilianus De Tarnoczy, Archiep. Salisburgen.
- † Benjaminus, Archiep. Naupolit. Graec. rit.
- † Elias Mellus, Archiep. Akren. Chaldaeor. rit.
- † Fridericus De Fürstenberg, Archiep. Olomucen.
- † Paulus Brunoni, Archiep. Taronen.
- † Joseph Matar, Archiep. Aleppensis, Maronit. rit.
- † Philippus Cammarota, Archiep. Cajetan.
- † Franciscus Xaverius Apuzzo, Archiep. Surrentin.
- † Cajetanus Rossini, Archiep. Episc. Melphiten., Jovenacen. et Terlitien.
- † Petrus Villanova Castellacci, Archiep. Petren.
- † Vincentius Tizzani, Archiep. Nisiben.
- † Vincentius Spaccapietra, Archiep. Smirnen.
- † Marianus Ricciardi, Archiep. Reginen.
- † Carolus Pooten, Archiep. Antibaren. et Scodren.
- † Franciscus Emilius Cugini, Archiep. Mutinen.
- † Jacobus Bosagi, Archiep. Caesarien. Armen. rit.
- † Raphaël Ferrigno, Archiep. Brundusin.
- † Salvatur Nobili Vitelleschi, Archiep. Epis. Auximan. et Cingulan.
- † Alexander Franchi, Archiep. Thessalonicens.
- † Petrus Bostani, Archiep. Tyren. et Sydonien. Maronit.
- † Patritius Leahy, Archiep. Casselien.
- † Josephus Hippolytus Guibert, Archiep. Turonen.
- † Marinus Marini, Archiep. Epis. Urbevetan.
- † Georgius Claudius Chalandon, Archiep. Aquen.
- † Gregorius Szymonowicz, Archiep. Leopolien. Armen. rit.
- † Joachim Limberti, Archiep. Florentin.

- † Antonius Salomone, Archiep. Salernitan.
- † Philippus Gallo, Archiep. Patracen.
- † Petrus Giannelli, Archiep. Sardian.
- † Joseph Sadoc Alemany, Archiep. S. Francisci de California.
- † Franciscus Pedicini, Archiep. Baren.
- † Emanuel Garcia Gil, Archiep. Caesaraugustan.
- † Arsenius Avak-Wartan Angiarakian, Archiep. Tarsen. Armen. rit.
- † Julianus Florianus Desprez, Archiep. Tolosan.
- † Ignatius Akkani, Archiep. Hauranan. Graec. rit. Melchitar.
- † Franciscus Xaverius Wierzchleyski, Archiep. Leopolitan. rit. lat.
- † Spiridion Maddalena, Archiep. Corcyren.
- † Gregorius Balitian, Archiep. Aleppen. Armen. rit.
- † Joannes Maria Odin, Archiep. Novae Aureliae.
- † Joannes Martinus Spalding, Archiep. Baltimoren.
- † Leo Korkoruni, Archiep. Melitenen. Armen. rit.
- † Carolus de la Tour D'Auvergne-Lauraguais, Archiep. Bituricen.
- † Joannes Hagg, Archiep. Heliopolitan. Maron.
- † Mieciuslaus Ledochowski, Archiep. Gnesnen. et Posnanien.
- † Walter Steins, Archiep. Epis. Bostrensis. Vicarius Apost. Calcut.
- † Primus Calvus Lope, Archiep. S. Jacoci de Cuba.
- † Beneventus Monzon y Martins, Archiep. Granaten.
- † Joseph Berardi, Archiep. Nicen.
- † Petrus Alexander Doimo Maupas, Archiep. Jadren.
- † Athanasius Raphaël Ciarchi, Archiep. Babilonen. Syror.
- † Georgius Darboy, Archiep. Parisien.
- † Antonius de Lavastida, Archiep. Mexican.
- † Clemens Munguia, Archiep. Mecoacan.
- † Paulus Hatem, Archiep. Aleppen. Graec. rit. Melchitar.
- † Petrus Matah, Archiep. Jaziren. in Syria.
- † Ludovicus Anna Dubreil, Archiep. Avenionen.
- † Joannes Ignatius Moreno, Archiep. Vallisoletan.
- † Martialis Guillelmus De Cosquer, Archiep. Portus Principis.
- † Laurentius Bergeretti, Archiep. Naxiensis.
- † Ludovicus Gonin, Archiep. Portus Hispaniae.
- † Melchior Nasarian, Archiep. Marden. Armen. rit.
- † Darius Bucciarelli, Archiep. Scopien.
- † Franciscus Fleix-y-Solans, Archiep. Tarraconen.
- † Ludovicus Haynald, Archiep. Colocen. et Bacsien.
- † Basilius Michaël Gasparian, Archiep. Cipren. Armen. rit.
- † Joannes Paulus Franciscus Maria Lyonnet, Archiep. Albien.
- † Henricus Eduardus Manning, Archiep. Westmonasterien.
- † Joseph Sembratowicz, Archiep. Nazianz. Graec. rit.
- † Paulus Melchers, Archiep. Colonien.
- † Franciscus Xaverius de Merode, Archiep. Melitenen.
- † Antonius Rossi Vaccari, Archiep. Colossem.
- † Aloisius Ciurcia, Archiep. Irenopolitan.
- † Alexander Riccardi, Archiep. Taurinen.
- † Joseph Benedictus Dusmet, Archiep. Catanien.
- † Joseph Cardoni, Archiep. Edessen.
- † Joannes Baptista Landriot, Archiep. Rhemen.
- † Carolus Martialis Allemand Lavigerie, Archiep. Julia-Caesarien.
- † Aloisius Puecher Passavalli, Archiep. Iconien.

- † Aloisius Nazari di Calabiana, Archiep. Mediolanen.
- † Joannes Petrus Losanna, Episc. Bugellen.
- † Ignatius Giustiniani, Episc. Chien.
- † Raphaël S. Casanelli, Episc. Adjacen.
- † Guillelmus Aretini Sillani, Episc. jam Terracinen.
- † Modestus Contratto, Episc. Aquen.
- † Theodosius Kojungi, Episc. Sidonien. Melchitar.
- † Joseph Maria Severa, Episc. Interamnen.
- † Fridericus Gabriel de Marguerye, Episc. Augustodunen.
- † Meletius Findi, Episc. Heliopolitan. Graec. rit. Melchitar.
- † Franciscus Victor Rivet, Episc. Divianen.
- † Julianus Mcirieu, Episc. Dinien.
- † Ludovicus Besi, Episc. Canopen.
- † Antonius Ranza, Episc. Placentin.
- † Dionysius Gauthier, Episc. Emausen.
- † Georgius Antonius Stahl, Episc. Herbipolen.
- † Andreas Raess, Episc. Argentinien.
- † Carolus Gigli, Episc. Tiburtin.
- † Franciscus Maria Vibert, Episc. Maurianen.
- † Joannes Fennelly, Episc. Castorien.
- † Stephanus Ludovicus Charbonneaux, Episc. Jassen.
- † Petrus Paulus Levêfre, Episc. Zelan. Adminis. Detroiten.
- † Joannes Hilarius Boset, Episc. Emeriten.
- † Fridericus Manfredini, Episc. Patavin.
- † Nicolaus Grispigni, Episc. Fulginaten.
- † Guillelmus Augebeault, Episc. Andegaven.
- † Joseph Armandus Gignoux, Episc. Bellovacen.
- † Joannes Baptista Berteaud, Episc. Tutelen.
- † Eleonorus Aronne, Episc. Montisalti.
- † Cajetanus Carli, Episc. Almiren.
- † Joannes Franciscus Wheland, Episcop. Aureliopolitanus.
- † Joannes Thomas Ghilardi, Episc. Montis Regalis.
- † Paulus Georgius Dupont des Loges, Episc. Meten.
- † Petrus Severini, Episc. Sappen.
- † Petrus Joseph de Preux, Episc. Sedunen.
- † Joannes Doney, Episc. Montisalbani.
- † Carolus Fridericus Roussalet, Episc. Sagien.
- † Jacobus Bailles, Episc. jam Luconen.
- † Joannes Williams, Episc. Bostonien.
- † Cajetanus Carletti, Episc. Reatin.
- † Joannes Brady, Episc. Perten.
- † Felix Cantimorri, Episc. Parmen. .
- † Petrus Paulus Trucchi, Episc. Forolivien.
- † Stephanus Marilley, Episc. Lausenan. et Geneven.
- † Guillelmus Massaia, Episc. Cassien.
- † Guillelmus Bernardus Ullathorne, Episc. Birminghamien.
- † Alexius Canoz, Episc. Tamassen.
- † Henricus Rossi, Episc. Casertan.
- † Joannes Baptista Pellei, Episc. Aquaependen.
- † Franciscus Mazzuoli, Episc. S. Severini.
- † Flavianus Abel Hugonin, Episc. Bajocen.
- † Philippus Mincione, Episc. Mileten.

- † Amadeus Rappe, Episc. Clevelanden.
- † Joannes Corti, Episc. Mantuanus.
- † Aloisius Ricci, Episc. Signin.
- † Jacobus Alypius Goold, Episc. Melbournen.
- † Eugenius Bruno Guigues, Episc. Utovien.
- † Guillelmus De Cany, Episc. Cargianen.
- † Paulus Dodmassei, Episc. Alexien.
- † Camillus Bisleti, Episc. Cornetan. et Centumcellar.
- † Thomas Mullock, Episc. S. Joannis Terrae Novae.
- † Franciscus Gandolfi, Episc. Antipatren.
- † Joannes Antonius Balma, Episc. Ptolemaid.
- † Aloisius Kobes, Episc. Methonen.
- † Laurentius Guillelmus Renaldi, Episc. Pinerolien.
- † Joannes Maria Foulquier, Episc. Mimaten.
- † Rodesindus, Episc. Portus Victoriae in Australia.
- † Antonius Boscarini, Episc. S. Angeli in Vado et Urbanien.
- † Januarius Acciardi, Episc. Anglonen. et Tursien.
- † Antonius De Stefano, Episc. Benden.
- † Guillelmus Keane, Episc. Cloynensis.
- † Antonius Felix Philibertus Dupanloup, Episc. Aurelianen.
- † Ludovicus Franciscus Pie, Episc. Pictavien.
- † Livius Parlatoire, Episc. S. Marci.
- † Ignatius Maria Sellitti, Episc. Melphien. et Rapollen.
- † Petrus Simon Dreux-Brèzè, Episc. Moulinen.
- † Joannes Ranolder, Episc. Vesprimien.
- † Franciscus Petagna, Episc. Castri Maris.
- † Petrus Cyrillus d'Uriz y da Labairu', Episc. Pompilonen. et Tudelen.
- † Raphaël Bachetoni, Episc. Nursin.
- † Georgius Strossmayer, Episc. Bosnien. et Sirmien.
- † Georgius De Luca, Episc. Compsan.
- † Alexander Taché, Episc. S. Bonifacii.
- † Joannes Mac-Gill, Episc. Richmondien.
- † Hieronymus Verzeri, Episc. Brixien.
- † Petrus Lacarriere, Episc. jam Bassae Terrae.
- † Ludovicus Theophilus Pallu du Parc, Episc. Blesen.
- † Philippus Fratellini, Episc. Forosempionien.
- † Aloisius Margarita, Episc. Oritan.
- † Joseph Arachial, Episc. Anciran. Armen. rit.
- † Thomas Grant, Episc. Southwarcen.
- † Vincentius Bisceglia, Episc. Termular.
- † Matthias Augustinus Mengacci, Episcop. Civitatis Castellan. Hortan. et Gallesin.
- † Joannes Petrus Mabile, Episc. Versalien.
- † Cajetanus Brinciotti, Episc. Balneoregien.
- † Colinus Mac Kinnon, Episc. Arichaten.
- † Bernardus Pinol, Episc. de Nicaragua.
- † Ludovicus Eugenius Regnault, Episc. Carnuten.
- † Joannes Jacobus Guerrin, Episc. Lingonen.
- † Aloisius Sodo, Episc. Thelesin. seu Cerretan.
- † Bartholomaeus D'Avanzo, Episc. Calven. et Theanen.
- † Joannes Joseph Longobardi, Episc. Andrien.
- † Joannes Petrus Bravard, Episc. Constantien.

- † Theodorus de Montpellier, Episc. Leodien.
- † Antonius La Scala, Episc. S. Severi.
- † Jesualdus Vitali, Episc. Ferentin.
- † Claudius Maria Dubuis, Episc. Galvestonien.
- † Jacobus Stepischnegg, Episc. Lavantin.
- † Aloisius Filippi, Episc. Aquilan.
- † Jacobus Ginoulhiae, Episc. Gratianopolitan.
- † Joseph Caixal-y-Estrade, Episc. Urgellen.
- † Franciscus Joseph Rudigier, Episc. Lincien.
- † Joannes Loughlin, Episc. Brooklynien.
- † Thaddeus Amat, Episc. Montereyen.
- † Jacob. Roosevelt Bayley, Episc. Nevarcon.
- † Ludovicus Goesbriand, Episc. Burlingtonen.
- † Emigidius Foschini, Episc. Civitatis Plebis.
- † Vincentius Materozzi, Episc. Ruben. et Bitunti
- † Petrus Aloisius Speranza, Episc. Bergomen.
- † Thomas Michaël Salzano, Episc. Tanen.
- † Felix Romano, Episc. Isclan.
- † Aloisius Landi Vittori, Episc. Assisien.
- † Vincentius Zubranich, Episc. Ragusin.
- † Benedictus de Riccabona, Episc. Tridentin.
- † Ludovicus Forwerk, Episc. Leontopolitan.
- † Franciscus Antonius Majorsini, Episc. Laquedonien.
- † Innocentius Sannibale, Episc. Eugubin.
- † Nicolaus Renatus Sergent, Episcop. Corisopiten.
- † Joannes Rosati, Episc. Tudertin.
- † Dominicus Zelo, Episc. Aversan.
- † Cajetanus Rodilossi, Episc. Alatrin.
- † Franciscus Gallo, Episc. Abellinen.
- † Petrus Rota, Episc. Guastallen.
- † Joannes Joseph Vitezich, Episc. Veglen.
- † Franciscus Gianpaolo, Episc. Larinen.
- † Franciscus Rouillet de La Bouillerie, Episc. Carcassonen.
- † Franciscus Paulus, Episc. S. Agathae Gothorum.
- † Alexius Joseph Wicart, Episc. Vallis Vidonis.
- † Guillelmus Vaughan, Episc. Plymuten.
- † Nicolaus Pace, Episc. Amerin.
- † Joannes Benini, Episc. Piscien.
- † Joseph Del Prete, Episc. Thyatiren.
- † Joseph Formisano, Episc. Nolan.
- † Claudio Henricus Plantier, Episc. Nemausen.
- † Ludovicus Augustus Delalle, Episc. Ruthenen.
- † Vincentius Moretti, Episc. Imolen.
- † Antonius Joseph Jordany, Episc. Forojulien. et Tolonen.
- † Joannes Renier, Episc. Feltr. et Bellunensis.
- † Patritius Moran, Episc. Dardanen.
- † Laurentius Gilooly, Episc. Elphinensis.
- † Guillelmus Emmanuel, Episc. Moguntinus.
- † Joannes Farrel, Episc. Hamiltonen.
- † Elias Ant. Alberani, Episc. Ascul. in Piceno.
- † Joannes Ghiureghian, Episc. Trapezuntin. Arm. rit.
- † Adrianus Lanquillat, Episc. Sergiopolitan.

- † Stephanus Semeria, Episc. Olympen.
- † Jacobus Bernardi, Episc. Massan.
- † Thomas Passero, Episc. Troian.
- † Claudius Jacobus Boudinet, Episc. Ambianen.
- † Conradus Martin, Episc. Paderbornen.
- † Joseph Emanuel Arroyo, Episc. de Guayana.
- † Joseph Romero, Episc. Dibonen.
- † Vincentius Cina, Episc. Adramydden.
- † Henricus, Episc. Casertanus.
- † Dalmatius Di Andrea, Episc. Boven.
- † Vincentius Gasser, Episc. Brixinen.
- † Philippus Vespasiani, Episc. Fanen.
- † Clemens Fares, Episc. Pisauen.
- † Franciscus Marinelli, Episc. Porphyrien.
- † Henricus Junker, Episc. Altonen.
- † Joannes Mac-Evilly, Episc. Galvien.
- † Guillelmus Clifford, Episc. Cliftonien.
- † Petrus Geraud De Langalerie, Episc. Bellicen.
- † Petrus Maria Ferrè, Episc. Casalen.
- † Ludovicus Delcusy, Episc. Vivarien.
- † Petrus Buffetti, Episc. Brictinorien.
- † Joseph Stephanus Godelle, Episc. Thermopylen.
- † Jacobus Fridericus Wood, Episc. Philadelphien.
- † Joannes Baptista Scandella, Episc. Antinoën.
- † Joseph Targioni, Episc. Volaterran.
- † Aloisius Maria Paoletti, Episc. Montis Politiani.
- † Joseph De Los Rios, Episc. Lucen.
- † Michaël O'Hea, Episc. Rossen.
- † Patritius Lynch, Episc. Caropolitan.
- † Joseph Maria Papardo, Episc. Sinopen.
- † Vitalis Justinus Grandin, Episc. Satalen.
- † Guillelmus Henricus Elder, Episc. Nacthezensis.
- † Clemens Pagliari, Episc. Anagnin.
- † Fortunatus Maurizi, Episc. Verulan.
- † Petrus Sola, Episc. Nicien.
- † Ferdinandus Blanco, Episc. Abulen.
- † Paulus Benignus Carrion, Episc. De Portorico.
- † Jacobus Jeancard, Episc. Ceramen.
- † Carolus Joannes Fillion, Episc. Cenomanen.
- † Joannes Sebastianus Devoucoux, Episc. Ebroicen.
- † Ignatius Senestrey, Episc. Ratisbonen.
- † Riccardus Roskell, Episc. Nottinghamen.
- † Pascalis Vuicic, Episc. Antiphellen.
- † Ludovicus Idéo, Episc. Liparen.
- † Michael Payà y Rico, Episc. Conchen.
- † Jacobus Etheridge, Episc. Toronen.
- † Petrus Cubero y Lopez de Padilla, Episc. Oriolen.
- † Dominicus Fanelli, Episc. Dianen.
- † Joachin Lluch, Episc. Canarien. et S. Christophori in Laguna.
- † Ignatius Papardo, Episc. Mynden.
- † Joannes Antonius Augustus, Episc. Apamien.
- † Petrus Tilkian, Episc. Brusen. Arm. rit.

- † Antonius Maria Valenziani, Episc. Fabrianen. et Mathelicens.
- † Hyacinthus Luzi, Episc. Narnien.
- † Thomas Grace, Episc. S. Pauli de Minnesota.
- † Antonius Halagi, Episc. Artuinien. Arm. rit.
- † Joseph Teta, Episc. Oppiden.
- † Joannes Baptista Siciliani, Episc. Caputaquen. et Vallen.
- † Franciscus Xaverius D'Ambrosio, Episc. Muran.
- † Michaël Milella, Episc. Aprutin.
- † Rodesindus Salvado, Episc. Victorien.
- † Simon Spilotros, Episc. Tricaricen.
- † Felix Petrus Fruchaud, Episc. Lemovicen.
- † Ludovicus Maria Epivent, Episc. Aturen.
- † Joseph Lopez - Crespo, Episc. Santanderien.
- † Vincentius Arbelaes, Episc. Maximopolitanus.
- † Joannes Quinlan, Episc. Mobilien.
- † Petrus Joseph Tardoya, Episc. Tiberopolitan.
- † Joannes Monetti, Episc. Cervien.
- † Alexander Paulus Spoglia, Episc. Comaclen.
- † Aloisius Mariotti, Episc. Feretran.
- † Valerius Laspro, Episc. Gallipolitan.
- † Aloisius Lembo, Episc. Cotronen.
- † Jacobus Rogers, Episc. Chathamen.
- † Patritius Dorrian, Episc. Dunen. et Connoren.
- † Andreas Ignatius Schaepman, Episc. Esbonen.
- † Alexander Bonnaz, Episc. Csanadiensis.
- † Sebastianus Dias Larangeira, Episc. S. Petri Flum. Granden.
- † Michaël Domenech, Episc. Pittsburghen.
- † Aloisius Antonius Dos Santos, Episc. Fortalexien.
- † Antonius de Macedo Costa, Episc. Belemen. de Para.
- † Claudius Maria Magnin, Episc. Annecien.
- † Julius Ravinet, Episc. Trezen.
- † Antonius de Trinitate de Vasconcellos Pereira de Mello, Episc. Lamacen.
- † Jacobus Donnelly, Episc. Clogherien.
- † Gerardus Petrus Wilmer, Episc. Harlemen.
- † Georgius Butler, Episc. Limericen.
- † Carolus Theodorus Colet, Episc. Luconen.
- † Eustachius Zanolli, Episc. Eleutheropolitan.
- † Fridericus Maria Zinelli, Episc. Tarvisin.
- † Aloisius de Canossa, Episc. Veronen.
- † Robertus Cornthwaite, Episc. Beverlacen.
- † Benedictus Vilamitjana, Episc. Derthusen.
- † Petrus Maria Laguera y Menezo, Episc. Oxomen.
- † Callistus Castillo y Orñedo, Episc. Legionen.
- † Silvester Horton Rosecrans, Episc. Pompejopolitan.
- † Victor Felix Bernardon, Episc. Vapincen.
- † Augustinus David, Episc. Briocen.
- † Ludovicus Nogret, Episc. S. Claudii.
- † Antonius Boutonnet, Episc. Guadalupen.
- † Pantaleo Monserrat y Navarro, Episc. Barcinonen.
- † Joseph Fessler, Episc. St. Hippolyti.
- † Marianus Puigllat y Amigo, Episc. Illerden.
- † Constantinus Bonet, Episc. Gerunden.

- † Joannes de Franca Castro e Moura, Episc. Portugallien.
- † Joannes Gray, Episc. Hypsopolitan.
- † Bernardus Trionfetti, Episc. Terracinen. Privernen. et Seti
- † Franciscus Gainza, Episc. de Caceres.
- † Antonius Alves Martins, Episc. Visen.
- † Joseph Papp-Szilágyi de Illesfalva, Episc. Magno Varadien. Graec. Rum
- † Gioannichius, Episc. Palmyren. Graeco-Cath.
- † Joannes Jacovacci, Episc. Aerythensis.
- † Joannes Baptista Greith, Episc. S. Galli.
- † Nicolaus Conaty, Episc. Kilmoren.
- † Nicolaus Adames, Episc. Halicarnassen.
- † Fidelis Abbati, Episc. Sanctorien.
- † Joannes Baptista Gazailhan, Episc. jam Veneten.
- † Antonius Manastyrski, Episc. Premislien. Lat. rit.
- † Joannes Zaffron, Episc. Sebenicen.
- † Joseph Nicolaus Darbert, Episc. Petrocoricen.
- † Petrus Marcus Le Breton, Episc. Anicien.
- † Joannes Claudius Lachat, Episc. Basileen.
- † Joseph Pluym, Episc. Nicopolitan.
- † Felix Maria Arriete, Episc. Gaditan. et Septen.
- † Franciscus Andreoli, Episc. Callien. et Pergulan.
- † Paulus Micalef, Episc. Civitatis Castelli.
- † Antonius Maria Pettinari, Episc. Nucerin.
- † Joannes Petrus Dours, Episc. Suessionen.
- † Gregorius Lopez, Episc. Placentin. Prov. Compostellan.
- † Joseph Aloisius Montagut, Episc. Oveten.
- † Joachim Hernandez y Herrero, Episc. Segobricen.
- † Paulus Beriscia, Episc. Pulaten.
- † Joannes Strain, Episc. Abilen.
- † Edmundus Franciscus Guierry, Episc. Danaben.
- † Hyacinthus Vera, Episc. Megaren.
- † Gaspar Mermillod, Episc. Hebronien.
- † Angelus Kraljevic, Episc. Metellopolitan.
- † Agapitus Dumani, Episc. Ptolemaiden. Graec. rit. Melchitar.
- † Thomas Nulty, Episc. Midensis.
- † Joseph Salandari, Episc. Marcopolitan.
- † Franciscus Nicolaus Guellette, Episc. Valentinen.
- † Guillelmus Renatus Meignan, Episc. Catalaunen.
- † Stephanus Ramadiè, Episc. Elnen.
- † Raimundus Garcia y Anton, Episc. Tuden.
- † Hyacinthus Maria Martinez, Episc. S. Christophori de Havana.
- † Henricus Franciscus Bracq, Episc. Gandaven.
- † Nicolaus Power, Episc. Sareptan.
- † Laurentius Bonaventura Shiel, Episc. Adelaidopolitan.
- † Aloisius Riccio, Episc. Cajacen.
- † Ferdinandus Ramirez y Vazquez, Episc. Pacen.
- † Victor Augustus Dechamps, Episc. Namureen.
- † Joannes Joseph Conroy, Episc. Albanen. in America.
- † Joannes Marango', Episc. Thinen. et Miconen.
- † Raphaël Popow, Episc. Bulgaror.
- † Nicolaus Frangipane, Episc. Concordien. *Electus.*
- † Joannes Lozano, Episc. Palentin.

- † Antonius Jorda' y Solér, Episc. Vicen.
 † Agapius Bsciai, Episc. Cariopolitan.
 † Stephanus Melchisedechian, Episc. Erzerumien. Armen. rit.
 † Carolus Philippus Place, Episc. Marsilien.
 † Joannes Baptista Lequette, Episc. Atrebaten.
 † Petrus Alfredus Grimardias, Episc. Cadurcen.
 † Joannes Maria Bécel, Episc. Veneten.
 † Georgius Dubocowich, Episc. Pharen.
 † Jacobus Lyngh, Episc. Arcadiopolitan.
 † Joseph de la Cuesta y Maroto, Episc. Aurien.
 † Jacobus Chadwick, Episc. Hagulstaden. et Novo Castren.
 † Angelus di Pietro, Episc. Nyssen.
 † Joseph Aggarbati, Episc. Senogallien.
 † Joseph Bovieri, Episc. Montis Falisci.
 † Julius Lenti, Episc. Sutrin. et Nepesin.
 † Thomas Gallucci, Episc. Recineten. et Lauretán.
 † Joannes Baptista Cerruti, Episc. Savonen. et Naulen.
 † Salvator Angelus Demartis, Episc. Galtellinen. Noren.
 † Philippus Manetti, Episc. Tripolitan.
 † Conceptus Focaccetti, Episc. Lystren.
 † Franciscus Fauli, Episc. Grossetan.
 † Joseph Rosati, Episc. Lunen.-Sarzanen.
 † Josephus Giusti, Episc. Aretinus.
 † Carolus Macchi, Episc. Regien.
 † Joannes Zalka, Episc. Jaurinensis.
 † Cajetanus Franceschini, Episc. Maceraten. et Tolentin.
 † Antonius Fania, Episc. Marsicen. et Potentinen.
 † Andreas Formica, Episc. Cuneen.
 † Carolus Savio, Episc. Asten.
 † Laurentius Gastaldi, Episc. Salutiar.
 † Eugenius Galletti, Episc. Alba Pompejen.
 † Antonius Colli, Episc. Alexandrin. Prov. Pedemontan.
 † Augustinus Haequard, Episc. Verdunen.
 † Joseph Alfredus Foulon, Episc. Nanceyen. et Tullen.
 † Henricus Bindi, Episc. Pistorien. et Praten.
 † Antonius Grech Delicata Testaferrata, Episc. Calydonien. *Electus.*
 † Franciscus Zunnui, Episc. Uxellen. et Terraeben.
 † Petrus Georgius di Natale, Episc. Amiden. Chaldaeor.
 † Leo Thomas, Episc. Rupellensis et Santonensis.
 † Franciscus Gros, Episc. Tarantasiensis.
 † Joannes Chrysostomus Kruesz, Archiabbas O. S. B. S. Martini.
 † Guillelmus de Cesare, Abbas Montis Virginis.
-

VI.

RESPONSUM SS. D. N. PII PP. IX.

LITTERAS EPISCOPORUM. 1867.

Venerabiles Fratres!

Perjucunda quidem, licet a fide et devotione vestra prorsus exspectanda, Nobis fuerat nobilis illa concordia, qua, sejuncti ac dissiti, eadem tenere, eadem asserere profitebamini, quae Nos docueramus, et eosdem, quos damnaveramus, errores in religiosae civilisque societatis exitium inventos exsecurari. Verum multo jucundius Nobis fuit haec ipsa discere ex ore vestro, et nunc rursum a congregatis vobis explicatius et solemnius accipere; dum iis amoris et obsequii officiis Nos cumulatis, quae mentes affectusque vestros luculentius verbis ipsis aperiant. Curnam enim tam prono animo obsecundastis desiderio Nostro, omnique incommodo posthabito, ad Nos e toto terrarum orbe convolastis? Scilicet explorata vobis erat firmitas Petrae, supra quam aedificata fuit Ecclesia, perspecta vivifica ejus virtus; nec vos fugiebat, quam praeclarum utrique rei testimonium accedat a christianorum heroum canonizatione. Duplex igitur hoc festum celebraturi confluxistis, non modo, ut sacris hisce solemnii splendorem adderetis, sed ut, universam veluti fidelium familiam referentes, praesentia vestra non minus, quam diserta professione testaremini, eamdem nunc, quae duodeviginti abhinc saeculis, vigere fidem, idem caritatis vinculum omnes nectere, eamdem virtutem exseri ab hac Cathedra veritatis. Placuit vobis commendare pastoralem sollicitudinem nostram, et quidquid pro viribus agimus ad effundendam veritatis lucem, ad disjiciendas errorum tenebras, ad perniciem depellendam ab animabus Christi sanguine redemptis; nempe ut e conjunctis priorum magistrorum sententiis ac vocibus confirmentur christiana gentes in obsequio et amore erga hanc sanctam Sedem, in eamque aerius mentis oculos intendant. Corrogatis undique subsidiis hic convenistis civilem nostrum sustentaturi Principatum tanta oppugnatum perfidia, ideo sane ut splendidissimo hoc facto, et per collata catholici orbis suffragia necessitatēm ejus ad liberum Ecclesiac regimen assereretis. Dilectum vero populum Romanum, indubiaque et clarissima ejus obsequii in Nos et dilectionis indicia meritis laudibus prosequenda duxistis; quo et alacriores ipsi adjiceretis animos, et eum vindicaretis a conflatis in ipsum calumniis, et foedam illis sacrilegæ proditionis notam inureretis, qui, felicitatis populi

obtentu, Romanum Pontificem e solo deturbare conantur. Et dum arctioribus mutuae caritatis nexibus per hunc conventum obstringere studiis omnes orbis Ecclesias; hoc etiam praestitistis, ut uberiore evangelico spiritu repleti ad Beatissimi Petri Principis Apostolorum et Pauli doctoris gentium cineres, fortiores inde discederetis ad perrumpendas hostium phalanges, ad tuenda religionis jura, ad unitatis studium creditis plebis efficacius ingerendum. Quod sane votum apertius etiam se prodit in eo communi Concilii oecumenici desiderio, quod omnes non modo perutile, sed et necessarium arbitramini. Superbia enim humana, veterem ausum instauratura, jamdiu per commenticum progressum civitatem et turrim exstruere nititur, cuius culmen pertingat ad coelum, unde demum Deus ipse detrahi possit. At Is descendisse videtur inspecturus opus, et aedificantium linguas ita confusurus, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui: id enim animo objiciunt Ecclesiae vexationes, miseranda consortii conditio, perturbatio rerum omnium, in qua versamur. Cui sane gravissimae calamitati sola certe objici potest divina Ecclesiae virtus, quae tunc maxime se prodit, cum Episcopi a Summo Pontifice convocati, eo praeside, conveniunt in nomine Domini de Ecclesiae rebus acturi. Et gaudemus omnino, praevertisse vos hac in re propositum jamdiu a Nobis conceptum, commendandi sacrum hunc coetum ejus patrocinio, cuius pedi a rerum exordio serpentis caput subjectum fuit, quaeque deinde universas haereses sola interemit. Satisfacturi propterea communi desiderio jam nunc nunciamus, futurum quandocumque Concilium sub auspiciis Deiparae Virginis ab omni labe immunis esse constituendum, et eo aperiendum die, quo insignis hujus privilegii ipsi collati memoria recolitur. Faxit Deus, faxit Immaculata Virgo, ut amplissimos e saluberrimo isto consilio fructus percipere valeamus. Interim vero Ipsa validissimo suffragio suo praesentibus necessariam adjunctis opem Nobis imploret, Deusque ejus precibus exoratus misericordiae suae divitias in Nos universamque Ecclesiam effundat. Nos certe amantisimi gratissimique animi sensu non extinguendo compulsi, enixe vobis ad precamur a Deo quidquid spirituali emolumento vestro, quidquid plebium vobis commissarum profectui, quidquid religionis et justitiae tutelae, quidquid civilis societatis tranquillitati benevertere possit. Et quoniam aliquot e vobis a peculiaribus populorum suorum necessitatibus coactos, citius a nobis discessuros esse comperimus; iis, si temporis angustiae singulos nobis complecti non sinant, in praesentiarum omnia ominamur secunda et effuso cordis affectu bene precamur. Universis vero supernorum omnium bonorum copiosique divini auxilii auspicem, simulque praecipuae benevolentiae nostrae et grati animi testem, Benedictionem Apostolicam ex imo pectore depromptam peramanter impertimur.

VII.

[BULLA CONVOCATIONIS.]

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS INDICITUR OECUMENICUM CONCILIU M

ROMAE HABENDUM

ET DIE IMMACULATAE CONCEPTIONI DEIPARAE VIRGINIS SACRO
AN. MDCCCLXIX INCIPIENDUM.

(Emissae die 29. Junii a. 1868.)

PIUS EPISCOPUS

S E R V U S S E R V O R Ú M D E I

Ad futuram rei memoriam.

Aeterni Patris Unigenitus Filius propter nimiam, qua nos dilexit, caritatem, ut universum humanum genus a peccati jugo, ac daemonis captivitate et errorum tenebris, quibus primi parentis culpa jamdiu misere premebatur, in plenitudine temporum vindicaret, de caelesti sede descendens et a paterna gloria non recedens, mortalibus ex Immaculata Sanctissimaque Virgine Maria indutus exuviis, doctrinam ac vivendi disciplinam e caelo delatam manifestavit eamdemque tot admirandis operibus testatam fecit, ac semetipsum tradidit pro nobis, oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Antequam vero, devicta morte, triumphans in caelum consenserus ad dexteram Patris concenderet, misit Apostolos in mundum universum, ut praedicarent evangelium omni creaturae, eisque potestatem dedit regendi Ecclesiam suo sanguine acquisitam et constitutam, quae est *columna et firmamentum veritatis*, ac caelestibus ditata thesauris tutum salutis iter, ac verae doctrinae lucem omnibus populis ostendit, et instar *navis in altum saeculi hujus ita natat, ut, pereunte mundo, omnes, quos suscipit, servet illaesos*¹. Ut autem ejusdem Ecclesiae regimen recte semper, atque ex

¹ S. Max. Serm. 89.

ordine procederet, et omnis christianus populus in una semper fide, doctrina, caritate et communione persisteret, tum semetipsum perpetuo affuturum usque ad consummationem saeculi promisit, tum etiam ex omnibus unum selegit Petrum, quem Apostolorum Principem, suumque hic in terris Vicarium, Ecclesiaeque caput, fundamentum ac centrum constituit, ut cum ordinis et honoris gradu, tum praecipuac plenissimaeque auctoritatis, potestatis, ac jurisdictionis amplitudine pasceret agnos et oves, confirmaret fratres, universamque regeret Ecclesiam, et esset *caeli janitor, ac ligandorum solvendorumque arbiter, mansura etiam in caelis judiciorum suorum definitione*¹. Et quoniam Ecclesiae unitas et integritas, ejusque regimen ab eodem Christo institutum perpetuo stabile permanere debet, iccirco in Romanis Pontificibus Petri successoribus, qui in hac eadem Romana Petri Cathedra sunt collocati, ipsissima suprema Petri in omnem Ecclesiam potestas, jurisdictionis, Primatus plenissime perseverat ac viget.

Itaque Romani Pontifices omnem Dominicum gregem pascendi potestate et cura ab ipso Christo Domino in persona Beati Petri divinitus sibi commissa utentes, numquam intermisserunt omnes perferre labores, omnia suscipere consilia, ut a solis ortu usque ad occasum omnes populi, gentes, nationes evangelicam doctrinam agnoscerent, et in veritatis ac justitiae viis ambulantes vitam assequerentur aeternam. Omnes autem norunt quibus indefessis curis iidem Romani Pontifices fidei depositum, Cleri disciplinam, ejusque sanctam doctamque institutionem, ac matrimonii sanctitatem dignitatemque tutari, et christianam utriusque sexus juventutis educationem quotidie magis promovere, et populorum religionem, pietatem, morumque honestatem fovere, ac justitiam defendere, et ipsius civilis societatis tranquillitati, ordini, prosperitati, rationibus consulere studuerint.

Neque omiserunt ipsi Pontifices, ubi opportunum existimarunt, in gravissimis praesertim temporum perturbationibus, ac sanctissimae nostrae religionis civilisque societatis calamitatibus generalia convocare Concilia, ut cum totius catholici orbis Episcopis, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, collatis consiliis, conjunctisque viribus ea omnia provide sapienterque constituerent, quae ad fidei potissimum dogmata definienda, ad grassantes errores profligandos, ad catholicam propugnandam, illustrandam et evolvendam doctrinam, ad ecclesiastica tuendam ac reparandam disciplinam, ad corruptos populorum mores corrigendos possent conducere.

Jam vero omnibus compertum exploratumque est, qua horribili tempestate nunc jactetur Ecclesia, et quibus quantisque malis civilis ipsa affligatur societas. Etenim ab acerrimis Dei hominumque hostibus catholica Ecclesia ejusque salutaris doctrina et veneranda potestas, ac suprema hujus Apostolicae Sedis auctoritas oppugnata, proculata, et sacra omnia despecta, et ecclesiastica bona direpta, ac Sacrorum Antistites et spectatissimi viri divino ministerio addicti, hominesque catholicis sensibus praestantes modis

¹ S. Leo Serm. II.

omnibus divexati, et Religiosae Familiae extinctae, et impii omnis generis libri, ac pestiferae ephemeredes, et multiformes perniciosissimae sectae undique diffusae, et miserae juventutis institutio ubique fere a Clero amota, et quod pejus est, non paucis in locis iniquitatis et erroris magistris commissa. Hinc cum summo Nostro et bonorum omnium moerore, et nunquam satis deplorando animarum damno ubique adeo propagata est impietas, morumque corruptio et effrenata licentia, ac pravarum cujusque generis opinionum omniumque vitiorum et scelerum contagio, divinarum humanarumque legum violatio, ut non solum sanctissima nostra religio, verum etiam humana societas miserandum in modum perturbetur ac divexetur.

In tanta igitur calamitatum, quibus cor Nostrum obruitur, mole supremum Pastorale ministerium Nobis divinitus commissum exigit, ut omnes Nostras magis magisque exseramus vires ad Ecclesiae reparandas ruinas, ad universi Dominici gregis salutem curandam, ad exitiales eorum impetus conatusque reprimendos, qui ipsam Ecclesiam, si fieri unquam posset, et civilem societatem funditus everttere connituntur. Nos quidem, Deo auxiliante, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus exordio nunquam pro gravissimi Nostri officii debito destitimus pluribus Nostris Consistorialibus Allocutionibus, et Apostolicis Litteris Nostram attollere vocem, ac Dei ejusque sanctae Ecclesiae causam Nobis a Christo Domino concreditam omni studio constanter defendere, atque hujus Apostolicae Sedis, et justitiae veritatisque jura propugnare, et inimicorum hominum insidias detegere, errores falsasque doctrinas damnare, et impietatis sectas proscribere, ac universi Dominici gregis saluti advigilare et consulere.

Verum illustribus praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, opportunum propterea esse existimavimus, in generale Concilium, quod jamdiu Nostris erat in votis, cogere omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis sacrorum antistites, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati sunt. Qui quidem Venerabiles Fratres singulari in catholicam Ecclesiam amore incensi, eximiaque erga Nos et apostolicam hanc Sedem pietate et observantia spectati, ac de animarum salute anxii, et sapientia, doctrina, eruditione praestantes, et una Nobiscum tristissimam rei cum sacrae tum publicae conditionem maxime dolentes, nihil antiquius habent, quam sua Nobiscum communicare et conferre consilia, ac salutaria tot calamitatibus adhibere remedia. In oecumenico enim hoc Concilio ea omnia accuratissime examine sunt perpendenda ac statuenda, quae hisce praesertim asperrimis temporibus majorem Dei gloriam, et fidei integritatem, divinique cultus decorum, sempiternamque hominum salutem, et utriusque Cleri disciplinam, ejusque salutarem solidamque culturam, atque ecclesiasticarum legum observantiam morumque emendationem, et christianam juventutis institutionem, et communem omnium pacem et concordiam in primis respiciunt. Atque etiam intentissimo studio curandum est, ut, Deo bene juvante, omnia ab Ecclesia et civili societate amovecantur mala, ut miseri errantes ad rectum

veritatis, justitiae, salutisque tramitem reducantur, ut vitiis erroribusque eliminatis, augusta nostra religio ejusque salutifera doctrina ubique terrarum reviviscat et quotidie magis propagetur et dominetur, atque ita pietas, honestas, probitas, justitia, caritas omnesque christianaee virtutes cum maxima humanae societatis utilitate vigeant et efflorescant. Nemo enim inficiari unquam poterit, catholicae Ecclesiae ejusque doctrinae vim non solum aeternam hominum salutem spectare, verum etiam prodesse temporali populorum bono, eorumque verae prosperitati, ordini ac tranquillitati, et humanarum quoque scientiarum progressui ac soliditatii, veluti sacrae ac profanae historiae annales splendidissimis factis clare aperteque ostendunt, et constanter evidenterque demonstrant. Et quoniam Christus Dominus illis verbis Nos mirifice recreat, reficit et consolatur: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*¹; iccirco dubitare non possumus, quin ipse in hoc Concilio Nobis in abundantia divinae suae gratiae praesto esse velit, quo ea omnia statuere possimus, quae ad majorem Ecclesiae suae sanctae utilitatem quovis modo pertinent. Ferventissimis igitur ad Deum luminum Patrem in humilitate cordis Nostri dies noctesque fusis precibus hoc Concilium omnino cogendum esse censuimus.

Quamobrem Dei ipsius omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ac beatorum ejus Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, qua Nos quoque in terris fungimur, freti et innixi, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et assensu, sacrum oecumenicum et generale Concilium in hac alma Urbe Nostra Roma futuro anno millesimo octingentesimo sexagesimo nono, in Basilica Vaticana habendum, ac die octava mensis decembbris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacra incipiendum, prosequendum, ac Domino adjuvante, ad ipsius gloriam, ad universi christiani populi salutem absolvendum et perficiendum, hisce Litteris indicimus, annuntiamus, convocamus et statuimus. Ac proinde volumus, jubemus, omnes ex omnibus locis tam Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, quam Dilectos Filios Abbates, omnesque alios, quibus jure aut privilegio in Conciliis generalibus residendi et sententias in eis dicendi facta est potestas, ad hoc oecumenicum Concilium a Nobis indictum venire debere, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis vi jurisjurandi, quod Nobis et huic Sanctae Sedi praestiterunt, ac sanctae obedientiae virtute, et sub poenis jure aut consuetudine in celebrationibus Conciliorum adversus non accedentes ferri et proponi solitis, mandantes arcteque praecipientes, ut ipsimet, nisi forte justo detineantur impedimento, quod tamen per legitimos procuratores Synodo probare debebunt, sacro huic Concilio omnino adesse et interesse teneantur.

In eam autem spem erigimur fore, ut Deus, in cuius manu sunt hominum corda, Nostris votis propitiis annuens ineffabili sua misericordia et gratia efficiat, ut omnes supremi omnium populorum Principes, et Mo-

¹ Matth. c. XVIII, v. 20.

deratores praesertim catholici quotidie magis noscentes maxima bona in humanam societatem ex catholica Ecclesia redundare, ipsamque firmissimum esse Imperiorum Regnorumque fundamentum, non solum minime impediant, quominus Venerabiles Fratres Sacrorum Antistites aliique omnes supra commemorati ad hoc concilium veniant, verum etiam ipsis libenter faveant, opemque ferant, et studiosissime, uti deceat catholicos Principes, iis cooperentur, quae in majorem Dei gloriam ejusdemque Concilii bonum cedere queant.

Ut vero Nostrae hae Litterae, et quae in eis continentur, ad notitiam omnium, quorum oportet, perveniant, neve quis illorum ignorantiae excusationem praetendat, cum praesertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illae essent intimandae, tutus forsitan pateat accessus, volumus et mandamus, ut in Patriarchalibus Basilicis Lateranensi, Vaticana, et Liberiana, cum ibi multitudo populi ad audiendam rem divinam congregari solita est, palam clara voce per Curiae Nostrae cursores aut aliquos publicos notarios legantur, lectaeque in valvis dictarum Ecclesiarum itemque Cancellariae apostolicae portis, et Campi Flora solito loco, et in aliis consuetis locis affigantur, ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquando expositae pendeant, cumque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per hujusmodi lectio-
nen, publicationem affixionemque, omnes et quoscumque, quos praedictae Nostrae Litterae comprehendunt, post spatium duorum mensium a die Litterarum publicationis et affixionis ita volumus obligatos esse et adstrictos, ac si ipsismet illae coram lectae et intimatae essent, transsumptis quidem earum, quae manu publici notarii scripta aut subscripta, et sigillo personae alicujus Ecclesiasticae in dignitate constitutae munita fuerint, ut fides certa et indubitata habeatur, mandamus ac decernimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae inductionis, annunciationis, convocationis, statuti, decreti, mandati, praecepsi, et obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanetum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo octavo, tertio kalendas julias.

Pontificatus Nostri anno vigesimotertio.

† EGO PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Loco † Signi.

† Ego Marius Episc. Ostiensis et Veliternus Card. Decanus Mattei Prodatarius.

† Ego Constantinus Episc. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi.

† Ego Aloysius Episc. Praenestinus Card. Amat S. R. E. Vice-Cancellarius.

- † Ego Nicolaus Episc. Tusculanus Card. Paracciani Clarelli a Secretis
Brevium.
- † Ego Camillus Episc. Albanus Card. Di Pietro.
- † Ego Carolus Augustus Episc. Sabinensis Card. de Reisach.
- † Ego Philippus Tit. S. Laurentii in Lucina Proto-Presb. Card. de Angelis
Archiep. Firmanus, et S. R. E. Camerarius.
- † Ego Fabius Maria Tit. S. Stephani in Monte Coelio Presb. Card. Asquini.
- † Ego Alexander Tit. S. Susannae Presb. Card. Barnabò.
- † Ego Joseph Tit. S. Mariae in Ara Coeli Presb. Card. Milesi.
- † Ego Petrus Tit. S. Marci Presb. Card. de Silvestri.
- † Ego Carolus Tit. S. Mariae de Populo Presb. Card. Sacconi.
- † Ego Angelus Tit. SS. Andreae et Gregorii in Monte Coelio Presb. Card.
Quaglia.
- † Ego Fr. Antonius Maria Tit. SS. XII Apost. Presb. Card. Panebianco
Poenitentiarius Major.
- † Ego Antoninus Tit. SS. Quatuor Coronator. Presb. Card. de Luca.
- † Ego Joseph Andreas Tit. S. Hieronymi Illyricorum Presb. Card. Bizzarri.
- † Ego Joannes Bapt. Tit. S. Callixti Presb. Card. Pitra.
- † Ego Fr. Philippus Maria Tit. S. Xysti Presb. Card. Guidi Archiep.
Bononiensis.
- † Ego Gustavus Tit. S. Mariae in Transpontina Presb. Card. de Hohenlohe.
- † Ego Aloysius Tit. S. Laurentii in Pane Perna Presb. Card. Bilio.
- † Ego Lucianus Tit. S. Pudentiana Presb. Card. Bonaparte.
- † Ego Joseph Tit. SS. Marcellini et Petri Presb. Card. Berardi.
- † Ego Raphaël Tit. SS. Crucis in Hierusalem Presb. Card. Monaco.
- † Ego Jacobus S. Mariae in Via Lata Proto-Diac. Card. Antonelli.
- † Ego Prosper S. Mariae Scalaris Diac. Card. Caterini.
- † Ego Theodulphus S. Eustachii Diac. Card. Mertel.
- † Ego Dominicus S. Mariae in Domnica Diac. Card. Consolini.
- † Ego Eduardus SS. Viti et Modesti Diac. Card. Borromeo.
- † Ego Hannibal S. Mariae in Aquiro Diac. Card. Capalti.

M. Card. Mattei, Pro-Datarius. — N. Card. Paracciani Clarelli.

Loco + Plumbi

Visa de Curia: D. Bruti.

Reg. in Secretaria Brevium.

J. Cugnionius.

VIII.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

AD

OMNES EPISCOPOS ECCLESIARUM RITUS ORIENTALIS
COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE NON HABENTES.

Arcano Divinae Providentiae consilio, licet sine ullis meritis Nostris, in hac sublimi Cathedra haeredes Beatissimi Apostolorum Principis constituti, qui *juxta praerogativam sibi a Deo concessam firma et solidissima petra est, super quam Salvator Ecclesiam aedificavit*¹, impositi Nobis oneris sollicitudine urgente, ad eos omnes in qualibet terrarum Orbis regione degentes, qui christiano nomine censemur, curas Nostras extendere, omnesque ad paternae caritatis amplexus excitare vehementissime cupimus et conamur. Nec vero absque gravi animae Nostrae periculo partem ullam christiani populi negligere possumus, qui pretiosissimo Salvatoris Nostri Sanguine redemptus et sacris baptismi aquis in Dominicum gregem adlectus, omnem sibi vigilantiam Nostram jure depositit. Itaque cum in omnium procurandam salutem, qui Christum Jesum agnoscunt et adorant, studia omnia cogitationesque Nostras indesinenter conferre debeamus, oculos Nostros ac paternum animum ad istas convertimus Ecclesias, quae olim unitatis vinculo cum hac Apostolica Sede conglutinatae tanta sanctitatis caelestique doctrinae laude florebant, uberesque divinae gloriae et animarum salutis fructus edebant, nunc vero per nefarias illius artes ac machinationes qui primum schisma excitavit in coelo, a communione Sanctae Romanae Ecclesiae, quae toto orbe diffusa est, sejunctae ac divisae cum summo Nostro moerore existunt.

Hac sane de causa jam ab ipso Supremi Nostri Pontificatus exordio Vobis pacis caritatisque verba toto cordis affectu loquuti sumus². Etsi vero haec Nostra verba optatissimum minime obtinuerint exitum, tamen nunquam Nos deseruit spes, fore ut humiles aequa ac ferventes Nostras preces propitiis exaudire dignetur clementissimus ac benignissimus salutis

¹ S. Greg. Nyss. *Laudatio altera S. Steph. Protomart. apud Galland.* VI, 600.

² Epist. ad Orient. *In suprema*, die 6. januarii, an. 1848.

pacisque Auctor, qui operatus est in medio terrae salutem, quique oriens ex alto pacem sibi acceptam et ab omnibus acceptandam evidenter ostendens, eam in ortu suo Angelorum ministerio bonae voluntatis hominibus nunciavit, et inter homines conversatus verbo docuit, praedicavit exemplo¹.

Jam vero cum nuper de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio Occumenicam Synodus futuro anno Romae celebrandam, ac die octavo mensis decembris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacro incipiendam indixerimus et convocaverimus, vocem nostram ad vos rursus dirigimus, et majore, qua possumus, animi Nostri contentione Vos obsecramus, monemus et obtestamur, ut ad eamdem generalem Synodus convenire velitis, quemadmodum Majores Vestri convererunt ad Concilium Lugdunense II., a recol. mem. B. Gregorio X. Praedecessore Nostro habitum, et ad Florentinum Concilium a fel. record. Eugenio IV., item Decessore Nostro celebratum, ut dilectionis antiquae legibus renovatis, et Patrum pace, caelesti illo ac salutari Christi dono, quod tempore exaruit, ad vigorem iterum revocata², post longam moeroris nebulam et dissidii diuturni atram ingratamque caliginem serenum omnibus unionis optatae jubar illucescat³.

Atque hic sit jucundissimus benedictionis fructus, quo Christus Jesus nostrum omnium Dominus et Redemptor Immaculatam ac dilectissimam Sponsam suam catholicam Ecclesiam consoletur, ejusque temperet et abstergat lacrimas in hac asperitate temporum, ut, omni divisione penitus sublata, voces antea discrepantes perfecta spiritus unanimitate collaudent Deum, qui non vult schismata esse in nobis, sed, ut idem omnes dicamus et sentiamus, Apostoli voce praecepit; immortalesque misericordiarum Patri semper agantur gratiae ab omnibus Sanctis suis, ac praesertim a gloriosissimis illis Ecclesiarum Orientalium antiquis Patribus et Doctoribus, cum de caelo prospiciant instauratam ac redintegratam cum hac Apostolica Sede catholicae veritatis et unitatis centro conjunctionem, quam ipsi in terris viventes omnibus studiis atque indefessis laboribus fovere et magis in dies promovere tum doctrina tum exemplo curarunt, diffusa in eorum cordibus per Spiritum Sanctum caritate Illius, qui medium maceriae parietem solvit, ac per Sanguinem suum omnia conciliavit et pacavit, qui signum discipulorum suorum in unitate esse voluit, et cuius Oratio ad Patrem correcta est: Rogo, ut omnes unum sint, sicut et Nos unum sumus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 8. septembris anno 1868.

Pontificatus Nostri anno vigesimotertio.

¹ Epist. B. Gregorii X. ad Michaëlem Palaeologum, Graec. Imper., die 24. octobris an. 1272.

² Epist. LXX., al. CCXX. S. Basili Magni ad S. Damasum Papam.

³ Defin. S. oecum. Synodi Florent. in Bulla Eugenii IV. *Laetentur coek.*

IX.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

AD

OMNES PROTESTANTES ALIOSQUE ACATHOLICOS.

Jam vos omnes noveritis, Nos licet immerentes ad hanc Petri Cathedram evectos, et iccireo supremo universae catholicae Ecclesiae regimini et curae ab ipso Christo Domino Nobis divinitus commissae praepositos opportunum existimasse, omnes Venerabiles Fratres totius orbis Episcopos apud Nos vocare, et in Oecumenicum Concilium futuro anno concelebrandum cogere, ut cum eisdem Venerabilibus Fratribus in sollicitudinibus Nostrae partem vocatis ea omnia consilia suscipere possimus, quae magis opportuna ac necessaria sint, tum ad dissipandas tot pestiferorum errorum tenebras, qui cum summo animarum damno ubique in dies dominantur et debaechantur, tum ad quotidie magis constituendum et amplificandum in christianis populis vigilantiae Nostrae concreditis verae fidei, justitiae veraeque Dei pacis regnum. Ac vehementer confisi arctissimo et amantissimo conjunctionis foedere, quo Nobis et Apostolicae huic Sedi iidem Venerabiles Fratres mirifice obstricti sunt, qui nunquam intermisserunt omni supremi Nostri Pontificatus tempore splendidissima erga Nos, et eamdem Sedem fidei, amoris, et observantiae testimonia praebere, ea profecto spe nitimus, fore ut, veluti praeteritis saeculis alia generalia Concilia, ita etiam praesenti saeculo Concilium hoc Oecumenicum a Nobis indictum uberes, laetissimosque, divina adspirante gratia, fructus emittat, pro majore Dei gloria ac sempiterna hominum salute.

Itaque in hanc spem erecti, ac Domini Nostri Jesu Christi, qui pro universi humani generis salute tradidit animam suam, caritate excitati et compulsi, haud possumus, quin futuri Concilii occasione eos omnes Apostolicis ac paternis Nostris verbis alloquamur, qui etiamsi eundem Christum Jesum veluti Redemptorem agnoscant, et in christiano nomine gloriantur, tamen veram Christi fidem haud profitentur, neque catholicae Ecclesiae communionem sequuntur. Atque id agimus, ut omni studio et caritate eos vel maxime moneamus, exhortemur et obsecremus, ut serio considerare et animadvertere velint, num ipsi viam ab eodem Christo Do-

mino praescriptam sectentur, quae ad aeternam perducit salutem. Et quidem nemo inficiari ac dubitare potest, ipsum Christum Jesum, ut humanis omnibus generationibus redempcionis suae fructus applicaret, suam hic in terris supra Petrum unicum aedificasse Ecclesiam, id est unam, sanctam, catholicam, apostolicam, eique necessariam omnem contulisse potestatem, ut integrum inviolatumque custodiretur fidei depositum, ac eadem fides omnibus populis, gentibus, nationibus traderetur, ut per baptisma omnes in mysticum suum corporis cooptarentur homines, et in ipsis semper servaretur ac perficeretur illa nova vita gratiae, sine qua nemo potest unquam aeternam mereri et assequi vitam, utque eadem Ecclesia, quae mysticum suum constituit corpus, in sua propria natura semper stabilis et immota usque ad consummationem saeculi permaneret, vigeret et omnibus filiis suis omnia salutis praesidia suppeditaret. Nunc vero qui accurate consideret ac meditetur conditionem, in qua versantur variae et inter se discrepantes religiosae societates sejunctae a catholica Ecclesia, quae a Christo Domino ejusque Apostolis sine intermissione per legitimos sacros suos Pastores semper exercuit, et in praesentia etiam exercet divinam potestatem sibi ab ipso Domino traditam, vel facile sibi persuadere debebit, neque aliquam peculiarem, neque omnes simul conjunctas ex eisdem societatis ullo modo constituere et esse illam unam et catholicam Ecclesiam, quam Christus Dominus aedificavit, constituit et esse voluit, neque membrum aut partem ejusdem Ecclesiae ullo modo dici posse, quandoquidem sunt a catholica unitate visibiliter divisae. Cum enim ejusmodi societates careant viva illa et a Deo constituta auctoritate, quae homines res fidei morumque disciplinam praesertim docet eosque dirigit ac moderatur in iis omnibus, quae ad aeternam salutem pertinent, tum societates ipsae in suis doctrinis continenter variarunt, et haec mobilitas ac instabilitas apud easdem societates nunquam cessat. Quisque vel facile intelligit, et clare aperteque noscit, id vel maxime adversari Ecclesiae a Christo Domino institutae, in qua veritas semper stabilis nullique unquam immutacioni obnoxia persistere debet, veluti depositum eidem Ecclesiae traditum integerime custodiendum, pro cuius custodia Spiritus Sancti praesentia auxiliumque ipsi Ecclesiae fuit perpetuo promissum. Nemo autem ignorat, ex hisce doctrinarum et opinionum dissidiis socialia quoque oriri schismata, atque ex his originem habere innumerabiles communiones et sectas, quae cum summo christianaee civilisque reipublicae damno magis in dies propagantur.

Enimvero quicunque religionem veluti humanae societatis fundamentum cognoscit, non poterit non agnosceret et fateri, quantam in civilem societatem vim ejusmodi principiorum ac religiosarum societatum inter se pugnantium divisio ac discrepancia exercuerit, et quam vehementer negatio auctoritatis a Deo constitutae ad humani intellectus persuasiones regendas, atque ad hominum tum in privata, tum in sociali vita actiones dirigendas excitaverit, promoverit et aluerit hos infelicissimos rerum ac

temporum motus et perturbationes, quibus omnes fere populi miserandur in modum agitantur et affliguntur.

Quamobrem ii omnes, *qui Ecclesiae catholicae unitatem et veritatem non tenent*¹, occasionem amplectantur hujus Concilii, quo Ecclesia Catholica, cui eorum Majores adscripti erant, novum intimae unitatis et inex-
pugnabilis vitalis sui roboris exhibet argumentum, ac indigentiis eorum cordis respondentes ab eo statu se eripere studeant, in quo de sua propria salute securi esse non possunt. Nec desinant ferventissimas miserationes Domino offerre preces, ut divisionis murum disjiciat, errorum caliginem depellat, eosque ad sinum sanctae Matris Ecclesiae reducat, in qua eorum majores salutariae vitae pascua habuere, et in qua solum integra Christi Doctrina servatur, traditur, et caelestis gratiae dispensantur mysteria.

Nos quidem cum ex supremi Apostolici Nostri ministerii officio Nobis ab ipso Christo Domino commisso omnes boni pastoris partes studiosissime explere, et omnes universi terrarum orbis homines paterna charitate prosequi et amplecti debeamus, tum has Nostras ad omnes christianos a Nobis sejunctos Litteras damus, quibus eos etiam atque etiam hortamur et obsecramus, ut ad unicum Christi ovile redire festinent; quandoquidem eorum in Christo Jesu salutem ex animo summopere optamus, ac timemus ne eidem Nostro Judici ratio a Nobis aliquando sit reddenda, nisi, quantur in Nobis est, ipsis ostendamus et muniamus viam ad eamdem aeternam assequendam salutem. In omni certe oratione et obsecratione, cum gratiarum actione nunquam desistimus dies noctesque pro ipsis caelestium luminum et gratiarum abundantiam ab aeterno animarum Pastore humilitate enixeque exposcere. Et quoniam vicariam Ejus hic in terris licet immerito gerimus operam, iccirco errantium filiorum ad catholicae Ecclesiae revercionem expansis manibus ardentissime exspectamus, ut eos in caelestis Patris domum amantissime excipere et inexhaustis ejus thesauris ditare possumus. Etenim ex hoc optatissimo ad veritatis et communionis cum catholica Ecclesia reditu non solum singulorum, sed totius etiam christianae societatis salus maxime pendet, et universus mundus vera pace perfrii non potest, nisi fiat unum ovile et unus pastor.

Datum Romae apud S. Petrum, die 13. septembris 1868. Pontificatus Nostri anno vigesimotertio.

¹ S. August. Ep. LXI., al. CCXXIII.

X.

CONGREGATIONES ET COMMISSIONES,

QUAE

MATERIAS IN CONCILIO EXAMINANDAS PRAEPARAVERUNT.

*Congregatio Cardinalicia directrix.*Card. *Constantinus Patrizi*, Praeses.„ *Carol. Aug. de Reisach.*„ *Alex. Barnabò.*„ *Anton. Maria Panebianco.*„ *Jos. Andr. Bizzarri.*„ *Aloys. Bilio.*„ *Prosper Caterini.*„ *Hannibal Capalti.*Secretarius: *Petrus Gianelli*, Archiep. Sardiensis.Consultores: *Vinc. Tizzani*, A. E. Nisib.Jos. *Angelini*, electus A. E. Corinth.Geo. *Talbot de Malahide*, Prael. dom.Melch. *Galeotti*, praef. stud. Panormit.P. *Sebastian. Sanguineti* S. J.Henr. *Feije*, prof. jur. c. Lovan.Car. Jos. *Hefele*, prof. hist. e. Tubing.*Commissio caerimoniarum.*Praeses: Card. *Patrizi*.Consultores: Dominic. *Bartolini*, Secr. S. C. Rit.Aloys. *Ferrari*, praef. Caerim. pont.Jo. *Corazza*, caerim. pont. partic.Pius *Martinucci*, caerim. pont. partic.Camill. *Balestra*, caerim. pont. partic.Remig. *Ricci*, caerim. pont.*Commissio politico-eccles.*Praeses: Card. *de Reisach*.Consultores: Marinus *Marini*, A. E. Urbis Veteris (Orvieto).Jos. *Papardo del Parco*, Ep. Sinop., Theatin.Dominic. *Bartolini*.Ludov. *Jacobini*, canon. bas. Lateran.

Consultores: Aloys. *Ferrari*.

Vincent. *Nussi*, Prael. dom.

Laur. *Gizzi*, Prael. dom.

P. Camillus *Guardi*, Vic. gen. cler. reg. min. inf.

Jos. *Kovács*, canon. Kalocz.

Guil. *Molitor*, canon. Spirens.

Chesnel, vic. gen. Corisopid. (Quimper).

Angelus *Trinchieri*, benef. Bas. Vatic.

Christoph. *Moufang*, canon. Mogunt.

Ambros. *Gibert*, vic. gen. Molin.

Commissio pro ecclesiis et missionibus Orientis.

Praeses: Card. *Barnabò*.

Consultores: Jo. *Simeoni*, Seer. S. Cong. prop. fid.

Ludov. *Jacobini*.

P. Jo. *Bollig* S. J.

P. Carol. *Vercellone*, Assist. gen. PP. Barnab.

P. Augustinus *Theiner*, Oratorian.

P. Leonardus *Valerga*, Praef. miss. ext. PP. Carmelit. discalc. in Syria.

Jos. *David*, Chorep. Syrens. in Mossul.

Caesar *Boncetti*, canon. S. Mar. ad Mart.

Jos. *Piazza*, S. Congr. prop. fid.

Franc. *Rosi*, S. Congr. prop. fid.

Seraphin *Cretoni*, benef. Bas. Liber.

P. Bonif. de *Haneberg* O. S. B., abbas.

P. Jo. *Martinow* S. J.

Ed. Henr. *Howard*, Prael. dom.

Commissio pro regularibus.

Praeses: Card. *Bizzarri*.

Consultores: Marinus *Marini*.

Stanisl. *Svegliati*, can. Bas. Vatic.

Aloys. *Trombetta*, can. Bas. SS. Laurent. et Damas.

Angel. *Lucidi*, can. Bas. SS. Laurent. et Damas.

P. Carol. *Capelli*, Proc. gen. PP. Barnabit.

P. M. Fr. Raym. *Bianchi* O. Praed.

P. Joach. da *Cipressa*, O. Min. Obs.

P. Nicol. *Cretoni* O. S. Aug.

P. Firminus *Costa* S. J.

Victorian. *Guisasola*, Proton. ap.

Franc. *Stoppani*, can. S. Mar. Transtib.

Commissio theolog. dogmat.

Praeses: Card. *Bilio*.

Consultores: Jos. *Cardoni*, A. E. Edessen.

Consultores: P. Marian. *Spada* O. Praed.
 P. M. Hyac. *d' Ferrari* O. Praed.
 P. Jo. *Perrone* S. J.
 Jo. *Schwetz*, Prael. dom.
 P. M. Bonfil. *Mura*, Ex-gen. Serv. M.
 P. Anton. M. *Adragna*, Def. gen. Min. Conv.
 Jac. *Jacquenet*, Proton. ap.
 Carol. *Gay*, can. theolog. et vic. gen. Pictav.
 P. Thom. *Martinelli* O. S. Aug.
 Jos. *Pecci*, prof. philos. in univ. Rom.
 P. Jo. B. *Franzelin* S. J.
 P. Clem. *Schrader* S. J.
 Camill. *Santori*, can. S. Mar. ad Mart.
 Placid. *Petacci*, benef. Bas. SS. Laur. et Dam.
 Franc. *Hettinger*, prof. dogm. Wirceburg.
 Jo. *Alzog*, prof. hist. e. Friburg.
 Jac. *Corcoran*, vic. gen. Carolopolit.
 Steph. *Moreno Labrador*, can. Gadit.

Commissio pro disciplina eccles.

Praeses: Card. *Caterini*.
Consultores: Petrus *Gianelli*.
 Jos. *Angelini*.
 Stanisl. *Svegliati*.
 Jo. *Simeoni*.
 Laur. *Nina*, Assess. S. Cong. Inquis.
 Ludov. *Jacobini*.
 Venant. *Mobili*, can. Bas. Liber.
 Angel. *Lucidi*.
 Phil. *de Angelis*, can. S. Mar. ad Mart.
 P. Camill. *Tarquini* S. J.
 Angel. *Jacobini*, can. S. Eustach.
 Jos. *Hergenröther*, prof. hist. e. Wirceburg.
 Henr. *Feije*.
 Henr. *Sauvé*, can. Lavaliens.
 Jos. *Giese*, can. Monast.
 Casp. *Heuser*, prof. Colon.
 Jos. *de Torres Padilla*, prof. Hispal.

XI.

LITTERAE APOSTOLICAE SS. D. N. PII PP. IX

QUIBUS

OB FUTURUM CONCILIJ INDULGENTIA PLENARIA IN FORMA
JUBILAEI OMNIBUS FIDELIBUS CONCEDITUR.

D. 11. APR. 1869.

Omnibus Christifidelibus, praesentes litteras inspecturis, PIUS PP. II salutem et apostolicam benedictionem.

Nemo certe ignorat, Oecumenicum Concilium a Nobis fuisse indictum in Basilica Nostra Vaticana, die 8. futuri mensis Decembbris, Immaculatae Sanctissimaeque Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacro, inchoandum. Itaque hoc potissimum tempore nunquam desistimus in humilitate cordis Nostri ferventissimis precibus orare et obsecrare clementissimum luminum et misericordiarum Patrem, *a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit*¹, ut mittat *de caelis sedium suarum assistricem sufficientiam, quae Nobiscum sit, et Nobiscum laboret, et sciamus, quid acceptum sit apud eum*². Et quo facilius Deus Nostris annuat votis, et inclinet aur suas ad preces Nostras, omnium Christifidelium religionem ac pietatem excitare decrevimus, ut conjunctis Nobiscum precibus Omnipotentis dexter auxilium et caeleste lumen imploremus, quo in hoc Concilio ea omnia statuere valeamus, quae ad communem totius populi christiani salute utilitatemque, ac majorem catholicae Ecclesiae gloriam et felicitatem pacem maxime pertinent. Et quoniam compertum est, gratiore Deo esse hominum preces, si mundo corde, hoc est animis ab omni scelere integrum ad ipsum accedant, siccirco hac occasione caelestes Indulgentiarum thesauros dispensationi Nostrae commissos Apostolica liberalitate Christifidelibus reserare constituimus, ut inde ad veram poenitentiam incensi, et per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati, ad Thronum Dilectionis accedant, ejusque misericordiam consequantur et gratiam in auxilio opportuno.

Hoc Nos consilio Indulgentiam ad instar Jubilaei Catholico Orbi dunciamus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi ac vendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis :

¹ S. Jac. c. 1. v. 17.² Sapient. cap. 9. v. 4. 10.

singulis utriusque sexus Christifidelibus in alma Urbe Nostra degentibus, vel ad eam advenientibus, qui a die primo futuri mensis Junii usque ad diem, quo Oecumenica Synodus a Nobis indicta fuerit absoluta, S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, et Sanctae Mariae Majoris Basilicas, vel earum aliquam bis visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro omnium misere errantium conversione, pro sanctissimae fidei propagatione, et pro catholicae Ecclesiae pace, tranquillitate ac triumpho devote orayerint, et praeter consueta quatuor anni tempora tribus diebus, etiam non continuis, nempe quarta et sexta feria et Sabbato jejunaverint, et intra commemoratum temporis spatium peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum reverenter susceperint, et pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique devotio suggeret, erogaverint; ceteris vero extra Urbem praedictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias, ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis seu Officialibus, aut de illorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad illorum notitiam hae Nostrae Litterae pervenerint, designandas, vel earum aliquam praefiniti temporis spatio bis visitaverint, aliaque recensita opera devote peregerint, plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem et Indulgentiam, sicut in anno Jubilaei visitantibus certas Ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus atque indulgemus: quae Indulgentia animabus etiam, quae Deo in caritate conjunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari poterit.

Concedimus etiam, ut navigantes atque iter agentes, quam primum ad sua se domicilia receperint, operibus suprascriptis, et bis visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majori, vel propria Parochiali loci ipsorum domicili, eamdem Indulgentiam consequi possint et valeant. Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis, quam saecularibus vel regularibus, itemque in carcere aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui memorata opera vel eorum aliqua praestare nequierint, ut illa Confessarius ex actu approbatis a locorum Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quae ipsi poenitentes efficere possint, cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui nondum ad primam Communionem admissi fuerint, pariter concedimus atque indulgemus.

Insuper omnibus et singulis Christifidelibus Saecularibus et Regularibus cuiusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Saecularem, quam Regularem ex actu approbatis a locorum Ordinariis (qua facultate uti possint etiam Moniales, Novitiae aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro Monialibus), qui eos ab excommunicationis, suspensionis,

aliisque ecclesiasticis sententiis, et censuris a jure vel ab homine quavis de causa latis vel infictis, praeter infra exceptas, neenon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis et Sedi Apostolicae speciali licet forma reservatis, et quorum absolutio alias quantumvis ampla non intelligeretur concessa, in foro conscientiae, et hac vice tantum absolvere valeant; et insuper vota quaecumque etiam jurata, et Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerit, seu in quibus agatur de praejudicio tertii semper exceptis, quatenus ea vota sint perfecta et absoluta, necnon poenalibus, quae praeservativa a peccatis nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia), in alia pia et salutaria opera dispensando commutare, injuncta tamen eis et eorum cuiilibet in supradictis omnibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Concedimus insuper facultatem dispensandi super irregularitate ex violatione Censurarum contracta, quatenus ad forum externum non sit deducta vel de facili deducenda. Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu, vel publica, vel occulta, aut nota, aliaque incapacitate aut inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribueré super praemissis dispensandi seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declaracionibus editae a fel. rec. Benedicto XIV., Praedecessore Nostro, *Sacramentum Poenitentiae*, quoad inhabilitatem absolvendi complicem et quoad obligationem denunciationis; neque easdem praesentes iis, qui a Nobis et ab Apostolica Sede, vel aliquo Praelato seu Judice Ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus praefinitum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, nullomodo suffragari posse aut debere. Quod si intra praefinitum terminum judicio Confessarii satisfacere non potuerint, absoluvi posse concedimus in foro conscientiae ad effectum dumtaxat assequendi Indulgentias Jubilaei, injuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt.

Quapropter in virtute sanctae obedientiae tenore praesentium districte praecipimus, atque mandamus omnibus et quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis et Officialibus, vel, ipsis deficienibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium Litterarum transsumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa, ubi primum pro temporum ac locorum ratione satius in Domino censuerint, per suas Ecclesias ac Dioeceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, et loca publicent vel publicari faciant, populisque etiam Verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, Ecclesiam seu Ecclesias visitandas pro praesenti Jubilaeo designent.

Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles Indulgenciarum et facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari possint; necnon regula de non concedendis Indulgentiis ad instar; ac quorumcumque Ordinum et Congregationum sive Institutorum etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus et Institutis, illorumque personis quomodo libet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiam si de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia quaevis expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in iis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, et expresse ad effectum praemissorum, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praecipimus autem, a commemorato die primo Junii usque ad diem, quo Oecumenica Synodus finem habuerit, ab omnibus universis catholici Orbis utriusque Cleri Sacerdotibus quotidie addi in Missa orationem de Spiritu Sancto, deque eodem Sancto Spiritu divinum, praeter consuetam Missam Conventualem, Sacrificium fieri in omnibus hujus Urbis Patriarchalibus aliisque Basilicis et Collegialibus et Collegiatis Ecclesiis ab eorum Canonicis, atque etiam in singulis cujusque Religiosae Familiae Ecclesiis Regularium, qui Conventualem Missam celebrare tenentur, feria quaque quinta, qua festum duplex priuiae et secundae classis non agatur, quin tamen haec de Spiritu Sancto Missa ullam habeat applicationis obligationem.

Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut praesentium transsumptis vel exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubicumque locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae habetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 11. Aprilis anno 1869.

Pontificatus Nostri Anno vicesimoterio.

N. Card. Paracciani Clarelli.

XII.

LITTERAE APOSTOLICAE SS. D. N. PII PP. IX

QUIBUS

ORDO GENERALIS STATUITUR IN SS. OEC. CONCILIO
VATICANO OBSERVANDUS.

D. 27. NOV. 1869.

PIUS PAPA IX.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Multiplices inter, quibus. divexamur angustias, ad Divinae Clementiae quae *consolatur Nos in omni tribulatione Nostra*¹, gratias persolvenda maxime excitamur, qua propitiante illud celeriter Nobis continget, ut sacre sanctum generale et oecumenicum Concilium Vaticanum jam a Nobis, E adspirante, indictum feliciter auspicemur. Gaudium autem in Domino jur percipimus, quod salutares Concilii ejusdem conventus solemni die Immaculatae Dei Matris Mariae semper Virginis Conceptioni sacro, atque ade sub potentibus maternisque auspiciis Ejus aggressuri sumus, eosque in Vaticana Nostra Basilica inituri ante Beatissimi Petri cineres, qui *in accepta fortitudine Petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliqui et in quo omnium Pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovi custodia perseverat*². Jamvero memores, hoc oecumenicum Concilium Nobis convocatum fuisse, ut exstirpandis erroribus, quos praesertim hujus saeculi conflavit impietas, removendis malis, quibus Ecclesia affligitur, emendandis moribus et utriusque Cleri disciplinae instaurandae, conjuncta Nobiscum sacrorum Ecclesiae Antistitutum adhibeat opera, ac probe noscentes quo studio intentaque sollicitudine curare debeamus, ut ea omnia, quae a rectam rationem tam salutaris negotii gerendi, tractandi ac perficiendi pertinent, ex sancta majorum disciplina institutisque statuantur, idcirco Apostolica Nostra auctoritate ea quae sequuntur decernimus, atque ab omnibus in hoc Vaticano Concilio servanda esse praecipimus.

¹ 2 Corinth. 1, 4.² S. Leo P., Serm. 2. in Annivers. Assumptionis.

I.

De modo vivendi in Concilio.

Reputantes animo, quod *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*¹, quodque nihil Caelestis Patri benignitati prouius est, quam ut det *spiritum bonum potentibus se*², jam Nos, dum Apostolicis Nostris Litteris³ die undecimo aprilis hoc anno datis, Ecclesiae thesauros Sacrosancti hujus Concilii occasione Christifidelibus reseravimus, non solum eosdem Christifideles vehementer hortati sumus, ut emundantes *conscientiam ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi*⁴, orationibus, obsecrationibus, jejuniis aliisque pietatis actibus insistere velint: sed etiam Divini Spiritus lumen et opem in Sacrosancto Missae sacrificio celebrando quotidie in universo Orbe Catholico implorari mandavimus, ad prosperum a Domino huic concilio exitum et salutares ex eo Ecclesiae Sanctae fructus impetrando.

Quas quidem adhortationes et praescriptiones modo renovantes et confirmantes id praeterea jubemus, ut in hujus Aliae Urbis Nostrae Ecclesiis, Sacrosancta Synodo perdurante, singulis diebus Dominicis hora, quae profidi populo magis congrua videatur, Litaniae aliaeque orationes ad hunc finem constitutae recitentur.

At longe his majus aliquid et excellentius ab Episcopis aliisque, qui in Sacerdotali Ordine censemur, hoc Concilium concelebrantibus, praestandum est, quos, uti ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei oportet in omnibus scipios praebere *exemplum bonorum operum in doctrina, ni integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*⁵. Quare veterum Conciliorum ac Tridentini nominatim vestigiis inhaerentes hortamur illos omnes in Domino, ut orationi, sacrae lectioni, caelestium rerum meditationibus pro sua cujusque pietate studiose intendant: ut pure casteque sancto Missae sacrificio, quam fieri possit, frequenter operentur; animum mentemque ab humanarum rerum curis immunem servent; modestiam in moribus, in vietu temperantiam, et in omni actione religionem retineant. Absint animorum dissidia, absit prava aemulatio et contentio, sed omnibus imperet, quae inter ceteras virtutes eminent charitas, ut, illa dominante et incolumi, de hoc sacro Episcoporum Ecclesiae conventu dici possit: „Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum“⁶. Evigilent demum Patres in domesticorum suorum cura et Christianae ab eis sanctaeque vitae dis-

¹ Jacob. 1, 17.

² Luc. 11, 13.

³ Litt. Nostr. 11. aprilis 1869.

⁴ Ep. ad Hebr. 9, 14.

⁵ Ep. ad Tit. 2, 7.

⁶ Ps. 132, 1.

ciplina exigenda, memores, quam gravibus verbis Paulus Apostolus praecipiat Episcopis, ut sint suae domui bene praepositi¹.

II.

De jure et modo proponendi.

Licet jus et munus proponendi negotia, quae in Sancta Oecumenica Synodo tractari debebunt, de iisque Patrum sententias rogandi nonnisi ad Nos et ad hanc Apostolicam Sedem pertineat, nihilominus non modo optamus, sed etiam hortamur, ut si qui inter Concilii Patres aliquid proponendum habuerint, quod ad publicam utilitatem conferre posse existiment, id libere exequi velint. Cum vero probe perspiciamus hanc ipsam rem, nisi congruo tempore et modo perficiatur, non parum necessario Conciliarium actionum ordini officere posse, idcirco statuimus, ejusmodi propositiones ita fieri debere, ut earum quaelibet: 1. scripto mandetur, ac peculiari Congregationi nonnullorum, tum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium, tum Synodi Patrum a Nobis deputandae privatim exhibeat; 2. publicum rechristiana bonum vere respiciat, non singularem dumtaxat unius ve alterius Dioecesis utilitatem; 3. rationes contineat, ob quas utilis et opportuna censemur; 4. nihil prae se ferat, quod a constanti Ecclesiae sensu ejus que inviolabilibus traditionibus alienum sit.

Peculiaris praedicta Congregatio propositiones sibi exhibitas diligenter expendet, suumque circa earum admissionem vel exclusionem consilium Nostro judicio submittet, ut Nos deinde matura consideratione de iis statuamus, utrum ad Synodalem deliberationem deferri debeant.

III.

De secreto servando in Concilio.

Prudentiae hinc ratio Nos admonet, ut secreti fidem, quae in superioribus Conciliis non semel, adjunctorum gravitate exigente, indicenda fuit, in universa hujus Concilii actione servandam jubeamus. Si enim unquam alias, hoc maxime tempore haec cautio necessaria visa est, quo in omnem occasionem excubat invidiae conflandae contra Catholicam Ecclesiam ejus que doctrinam, pluribus nocendi opibus pollens impietas. Quapropter praecipimus omnibus et singulis Patribus, Officialibus Concilii, Theologis, Sacrorum Canonum Peritis, caeterisque, qui operam suam Patribus vel Officialibus praedictis quovis modo in rebus hujus Concilii praebent, ut decreta et alii quaecumque, quae iis examinanda proponentur, neenon discussiones e singulorum sententias non evulgent, nec alicui extra gremium Concili pandant; praecipimus pariter, ut Officiales Concilii, qui episcopali dignitat-

¹ 1 Timoth. 3, 4.

praediti non sunt, aliqui omnes, qui ratione ejusvis demandati a Nobis ministerii Conciliaribus disceptionibus inservire debent, juramentum emittere teneantur de munere fideliter obeundo, et de secreti fide servanda circa ea omnia, quae supra praescripta sunt, neenon super iis rebus, quae specialiter ipsis committentur.

IV.

De ordine sedendi, et de non inferendo alicui praejudicio.

Cum ad tranquillitatem concordiamque animorum tuendam non parum momenti habeat, si in quibuslibet Conciliaribus actibus unusquisque suae dignitatis ordinem fideliter ac modeste custodiat: hinc ad offensionum occasiones, quoad ejus fieri possit, praecidendas, infrascriptum ordinem inter diversas dignitates servari praescribimus.

Primum locum obtinebunt VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales, Episcopi, Presbyteri, Diaconi. Secundum Patriarchae. Tertium, ex speciali Nostra indulgentia, Primates, juxta ordinem suae promotionis ad Primatelem gradum. Id autem pro hac vice tantum indulgemus, atque ita, ut ex hac Nostra concessione nullum jus vel ipsis Primitibus datum vel aliis immutatum censeri debeat. Quartum locum tenebunt Archiepiscopi juxta suae ad Archiepiscopatum promotionis ordinem. Quintum Episcopi, ac pariter juxta ordinem promotionis suae. Sextum Abbates Nullius Dioecesis. Septimum Abbates Generales aliqui Generales Moderatores Ordinum Religiosorum, in quibus solemnia vota nuncupantur, etiamsi Vicarii Generalis titulo appellantur, dum tamen re ipsa cum omnibus supremi moderatoris juribus et privilegiis universo suo Ordini legitime praesunt.

Ceterum ex superiorum Conciliorum disciplina institutoque decernimus, quod, si forte contigerit, aliquos debito in loco non sedere, et sententias etiam sub verbo *placet* proferre, congregationibus interesse, et alios quoscumque actus facere, Concilio durante, nulli propterea praejudicium generetur nullique novum jus acquiratur¹.

V.

De Judicibus excusationum et querelarum.

Quo graviorum rerum pertractatio, quae in hac Sacrosancta Synodo agi gerive debent, minus quam fieri possit, impediatur aut retardetur ob cognitionem causarum, quae singulos respiciunt: statuimus, ut ipsa Synodus per schedulas secretas quinque ex Concilii Patribus eligat in *Judices excusationum*, quorum erit procurations et excusationes Praelatorum absentium, neenon eorum postulata, qui, Concilio nondum dimisso, justam

¹ Conc. Trid. Sess. II, Decret. „De mod. viv.“ § *Insuper*.

discedendi causam se habere putaverint, excipere, atque ad normam conciliaris disciplinae et SS. Canonum expendere: quod cum fecerint, non quidquam de hisce rebus decernent, sed de omnibus ad Congregationem generalem ordine referent. Praeterea statuimus, ut eadem Synodus pariter per schedulas secretas alios quinque ex Patribus eligat *in Judices querelarum et controversiarum*.

Hi porro controversias omnes circa ordinem sedendi, vel jus praecedendi aliasque, si quae forte inter congregatos orientur, judicio summario atque *oeconomice*, ut ajunt, ita componere studebunt, ut nulli praejudicium inferatur, et quatenus componere nequeant, eas Congregationis generalis auctoritati subjicient.

VI.

De Officialibus Concilii.

Quod vero et illud magni refert, ut necessarii ac idonei ministri et officiales juxta conciliarem consuetudinem et disciplinam omnibus in hac Synodo actibus rite et legitime perficiendis designentur, Nos hujusmodi ministeriorum rationem habentes, infrascriptos viros ad ea deligimus et nominamus, scilicet:

1. Generales Concilii Custodes, Dilectos Filios Joannem Columna et Dominicum Orsini Romanos Principes Pontificio Nostro solio adstantes.

2. Concilii Secretarium, Venerabilem Fratrem Josephum Episcopum S. Hippolyti, eique adjicimus cum officio et titulo Subsecretarii, dilectum filium Ludovicum Jacobini e Nostris et hujus Apostolicae Sedis Protonotariis, necnon adjutores, Dilectos Filios Canonicos Camillum Santori et Angelum Jacobini.

3. Concilii Notarios, Dilectos Filios Lucam Pacifici, Aloysium Colombo, Joannem Simeoni, Aloysium Pericoli, et Dominicum Bartolini Nostros et hujus Apostolicae Sedis Protonotarios, eisque adjungimus Dilectos Filios Salvatorem Pallottini et Franciscum Santi Advocatos, qui Notariis eisdem adjutricem operam navent.

4. Scrutatores Suffragiorum, Dilectos Filios Aloysium Serafini et Franciscum Nardi causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores; Aloysium Pellegri et Leonardum Dialti Nostrae Camerae Apostolicae Clericos; Carolum Christofori et Alexandrum Montani Signaturae Justitiae Votantes; Fridericum de Falloux du Coudray Nostrae Cancellariae Apostolicae Regentem, et Laurentium Nina Abbreviatorem ex majori Parco. Hi autem octo scrutatores in quatuor distincta paria distributi ita ad excipienda suffragia procedent, ut bina paria unum Conciliaris Aulae latus, totidemque alterum obeant, ac praeterea singula paria singulos ex Notariis secum habere debent, dum in munere fungendo versantur.

5. Promotores Concilii, Dilectos Filios Joannem Baptistam de Dominicis-Tosti, et Philippum Ralli S. Consistorii Advocatos.

6. Magistros Caeremoniarum Concilii, Dilectos Filios Aloysium Ferrari Antistitem Nostrum domesticum Praefectum, et Pium Martinucci, Camillum Balestra, Remigium Ricci, Josephum Romagnoli, Petrum Josephum Rinaldi-Bucci, Antonium Cataldi, Alexandrum Tortoli, Augustinum Accoramboni, Aloysium Sinistri, Franciscum Riggi, Antonium Gattoni, Balthasarem Bacchinetti, Caesarem Togni, Rochum Massi, Nostros et hujus Apostolicae Sedis Caeremoniarios.

7. Assignatores Locorum, Dilectos Filios Henricum Folchi Praefectum, ac Aloysium Naselli, Edmundum Stonor, Paulum Bastide, Aloysium Pallotti intimos Nostros Cubicularios et Dilectos Filios Scipionem Perilli, Gustavum Gallot, Franciscum Regnani, Nicolaum Vorsak, et Philippum Silvestri Cubicularios Nostros honorarios.

VII.

De Congregationibus Generalibus Patrum.

Ad ea modo curam convertentes, quae Congregationum Generalium ordinem respiciunt, statuimus ac decernimus, ut iisdem Patrum Congregationibus, quae publicis sessionibus praemittuntur, quinque ex VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Nostro Nomine et Auctoritate praesint, et ad hoc munus eligimus et nominamus, Venerabilem Fratrem Nostrum Carolum S. R. E. Cardinalem Episcopum Sabinensem De Reisch nuncupatum, Dilectos Filios Nostros S. R. E. Presbyteros Cardinales, Antoninum titulo SS. Quatuor Coronatorum De Luca nuncupatum, Josephum Andream titulo S. Hieronymi Illyricorum Bizzarri nuncupatum, Aloysium titulo S. Laurentii in Panisperna Bilio nuncupatum, et Dilectum Filium Nostrum Hannibalem S. R. E. Cardinalem Diaconum S. Mariae in Aquiro Capalti nuncupatum.

Hi autem Praesides, praeter alia, quae ad aptam horum Conventuum moderationem spectant, curabunt, ut in rebus pertractandis initium fiat a disceptatione eorum, quae ad fidem pertinent; deinde integrum ipsis erit consultationes in fidei vel disciplinae capita conferre, prout opportunum judicaverint.

Cum vero Nos, jam inde a tempore, quo Apostolicas Litteras ad hoc Concilium indicendum dedimus, Viros Theologos et ecclesiastici juris Consultos ex variis Catholici Orbis regionibus in hanc almam Urbem Nostram evocandas curaverimus, ut una cum aliis hujus Urbis, et earumdem disciplinarum peritis viris, rebus apparandis darent operam, quae ad hujus Generalis Synodi scopum pertinent, atque ita expeditior via in rerum tractatione Patribus patere posset; hinc volumus et mandamus, ut *schemata* decretorum et canonum ab iisdem viris expressa et redacta, quae Nos, nulla Nostra approbatione munita, *integre* Patrum cognitioni reservavimus, iisdem Patribus in Congregationem Generalem collectis ad examen et judicium subjiciantur. Itaque, curantibus memoratis Praesidibus, aliquot

ante dies, quam Congregatio Generalis habeatur, decretorum et canonur schemata, de quibus in Congregatione indicta agendum erit, typis impress singulis Patribus distribuentur, quo interim illa diligenti consideratione i omnem partem expendant, et, quid sibi sententiae esse debeat, accurat pervideant. Si quis Patrum de schemate proposito sermonem in Congregatione ipsa habere voluerit, ad debitum inter oratores ordinem pr cujusque dignitatis gradu servandum, opus erit, ut saltem pridie die Congregationis ipsius Praesidibus suum disserendi propositum significar dum curet. Auditis autem istorum Patrum sermonibus, si alii etiam pos eos in conventu ipso disserere voluerint, hoc iisdem fas erit, obtenta priu a Praesidibus dicendi venia, et eo ordine, quem dicentium dignita postulaverit.

Janvero, si in ea quae habetur Congregatione, exhibitum schema v nullas vel nonnisi leves difficultates in ipso congressu facile expedienda obtulerit, tunc nihil morae erit, quominus, disceptionibus compositi decreti vel canonis Conciliaris, de quo agitur, formula rogatis Patru suffragiis statuatur. Sin autem circa schema praedictum hujusmodi orientu difficultates, ut, sententiis in contraria conversis, via non suppetat, qua i ipso conventu componi possint, tum ea ratio ineunda erit, quam heic infra statuimus, ut stabili et opportuno modo huic rei provideatur. Volum itaque, ut ab ipso Concilii exordio quatuor speciales ac distinctae Patru Congregationes seu *Deputationes* instituantur, quarum prima de rebus a fidem pertinentibus, altera de rebus disciplinae ecclesiasticae, tertia de rebus Ordinum Regularium, quarta demum de rebus ritus Orientalis, Co cilio perdurante, cognoscere et tractare debet. Quaevis ex praedict Congregationibus seu Deputationibus numero Patrum quatuor et virgin constabit, qui a Concilii Patribus per schedulas secretas eligentur. Un cuique ex iisdem Congregationibus seu Deputationibus, preeerit unus e VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus a Nobis designandus, qui ex Co ciliaribus Theologis vel Juris Canonici peritis unum aut plures in con modum suaे Congregationis seu Deputationis adsciscet, atque ex iis unu constituet, qui Secretarii munere eidem Congregationi seu Deputationi operam navet. Igitur si illud contigerit, quod supra innuimus, ut nimiri in Generali Congregatione quaestio de proposito schemate exorta dirin non potuerit, tum Cardinales ejusdem Generalis Congregationis Praeside curabunt, ut schema, de quo agitur, una cum objectis difficultatibus examini subjiciatur illius ex specialibus Deputationibus, ad quam juxta assignat cuique rerum tractandarum genera pertinere intelligitur. Quae in ha peculiari Deputatione deliberata fuerint, eorum relatio typis edita Patribu diribenda erit juxta methodum a Nobis superius praescriptam, ut deind in proxima Congregatione Generali, si nihil amplius obstiterit, rogati Patrum suffragiis, decreti vel canonis Conciliaris formula condatur. Suffragi autem a Patribus ore tenus edentur, ita tamen, ut ipsis integrum sit etiam de scripto illa pronuntiare.

VIII.

De Sessionibus publicis.

Publicarum nunc Sessionum celebratio exigit, ut rebus et actionibus in ea rite dirigendis congrua ratione consulamus. Itaque in unaquaque publica Sessione, considentibus suo loco et ordine Patribus, servatisque ad amussim caeremoniis, quae in rituali instructione iisdem Patribus de mandato Nostro tradenda continentur, de suggestu decretorum et Canonum formulae in superioribus Congregationibus generalibus conditae voce sublata et clara jussu Nostro recitabuntur, eo ordine, ut primum canones de dogmatibus Fidei, deinde decreta de disciplina pronuncientur, et ea adhibita solemni tituli praefatione, quae Praedecessores Nostri in ejusmodi Conciliari actione uti consueverunt, nempe: *Pius Episcopus Servus Servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam.* Tunc vero rogabuntur Patres, an placeant canones et decreta perfecta; ac statim procedent scrutatores suffragiorum, juxta methodum superius constitutam ad suffragia singillatim et ordine excipienda, eaque accurate describent. Hac autem in re declaramus suffragia pronunciari debere in haec verba, *placet* aut *non placet*: ac simul edicimus, minime fas esse a Sessione absentibus quavis de causa, suffragium suum scripto consignatum ad Concilium mittere. Jamvero suffragiis collectis, Concilii Secretarius una cum supradictis scrutatoribus penes Pontificalem Nostram Cathedram iis accurate dirimendis ac numerandis operam dabunt, ac de ipsis ad Nos referent: Nos deinde supremam Nostram sententiam edicemus, eamque enunciari et promulgari mandabimus, hac adhibita solemni formula: „*Decreta modo lecta placuerunt omnibus Patribus nomine dissentiente* (vel si qui forte dissenserint), *.tot numero exceptis; Nosque, sacro approbante Concilio, illa ita decernimus, statuimus atque sancimus, ut lecta sunt.*“ Hisce autem omnibus expletis, erit Promotorum Concilii, rogare Protonotarios praesentes, ut de omnibus et singulis in Sessione peractis unum vel plura instrumentum vel instrumenta confiantur. Denique die proximae Sessionis de mandato Nostro indicta, Sessionis conventus dimittetur.

IX.

De non discedendo a Concilio.

Universis porro Concilii Patribus aliisque, qui eidem interesse debent, praecipimus sub poenis per SS. Canones indictis, ut ne quis eorum, antequam Sacrosanctum hoc Generale et Oecumenicum Concilium Vaticanum rite absolutum et a Nobis dimissum sit, discedat, nisi discessionis causa juxta normam superius definitam cognita et probata fuerit, ac impetrata a Nobis abeundi facultas.

X.

Indultum Apostolicum de non residentia pro iis qui Concilio intersunt.

Cum ii omnes qui Conciliaribus actionibus interesse tenentur, ea in re universalis Ecclesiae deserviant; Praedecessorum Nostrorum etiam exemplum sequuti¹ Apostolica benignitate indulgemus, ut tum Praesules aliqui suffragii jūs in hoc Concilio habentes, tum caeteri omnes eidem Concilio operam quovis titulo impendentes, suorum beneficiorum fructus, redditus, proventus ac distributiones quotidianas percipere possint, iis tantum distributionibus exceptis, quae *inter praesentes* fieri dicuntur; idque concedimus Synodo perdurante, et donec quisque eidem adsit aut inserviat.

Haec volumus atque mandamus, decernentes has Nostras Litteras et in eis contenta quaecumque in proximo sacrosancto generali et oecumenico Concilio Vaticano ab omnibus et singulis, ad quos spectat, respective et inviolabiliter observari debere. Non obstantibus, quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. novemboris anno MDCCCLXIX. Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

N. Card. Paracciani-Clarelli.

¹ Paulus III. Brev. 1. januarii 1546. Pius IV. Brev. 25. nov. 1561.

XIII.

DUO BREVIA A SS. D. N. PIO PP. IX.

DATA

ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSI DE INVITATIS AD
CONCILIUM ACATHOLICIS.

A.

Datum 4. Sept. 1860.

VENERABILI FRATRI HENRICO EDUARDO

Archiepiscopo Westmonasteriensis.

PIUS PP. IX.

Ven. Frater, Sal. et Ap. Ben. Per ephemerides accepimus, Doctorem Cumming Scotum quaesivisse a te, num in futuro Concilio dissidentibus acienda sit potestas ea proferendi argumenta, quae suae opinioni suffragari arbitrentur; te autem respondente, id a Nobis esse decernendum, psum hac de re ad Nos scripsisse. Verum si postulantem non latet catholicorum fides de magisterio a divino Servatore nostro commisso Ecclesiae suae, et de hujus infallibilitate propterea in definiendis quaestionibus le dogmate et moribus, dubitare nequibit, quin Ecclesia ipsa pati non lebeat, revocari rursum in disceptationem errores, quos sedulo expendit, udicavit et damnavit. Nec aliud ei suadere possunt Litterae Nostrae. Cum enim diximus „*nemo inficiari ac dubitare potest, ipsum Christum Iesum*, ut humanis omnibus generationibus redemptionis suae fructus applicaret, *suam hic in terris supra Petrum unicum aedificasse Ecclesiam*, id est unam, sanctam, catholicam, apostolicam, *eique necessarium omnem conculisse potestatem*, ut *integrum inviolatumque custodiretur fidei depositum*, ac eadem fides omnibus populis, gentibus, nationibus traderetur;“ hoc ipso licimus extra disputationis aleam constitutum esse primatum, non honoris antum, sed et jurisdictionis Petro ejusque successoribus ab Ecclesiae institutore collatum. Atqui in hoc nimirum cardine tota quaestio versatur inter catholicos et dissentientes quoscumque, et ex hoc dissensu, veluti cōnte, omnes acatholicon errorum dimanant. „*Cum enim ejusmodi sociates careant riva illa et a Deo constituta auctoritate*, quae homines res idei morumque disciplinam praesertim docet, eosque dirigit ac moderatur in iis omnibus, quae ad aeternam salutem pertinent, tum *societas ipsae in suis doctrinis continenter variarunt*, et haec mobilitas atque instabilitas apud easdem societas nunquam cessat.“ Sive ergo qui te interrogavit

sententiam consideret, quam de infallibilitate judicii sui in definitione rerum spectantium fidem et mores tenet Ecclesia, sive quae Nos de non revocando in dubium Petri primatu et magisterio scripsimus; intellige: illico, nulli damnatorum errorum patrocinio locum esse posse in Concilio nec Nos acatholicos invitare potuisse ad disceptandum, sed dumtaxat, ut „occasione amplectantur hujus Concilii, quo Ecclesia catholica, cui eorum majores adscripti erant, novum intimae unitatis et inexpugnabilis vitalis sui roboris exhibet argumentum; ac indigentiis eorum cordis respondentes ab eo statu se eripere studeant, in quo de sua propria salute securi esse non possunt.“ Si ipsi, divina gratia afflante, proprium discrimen percipient; si toto corde Deum quaerant, facile abjicient praecognitam quamvis adversam opinionem, et, omni statim disceptandi cupidine deposita redibunt ad Patrem, a quo jamdiu infeliciter discesserunt. Nos autem laeti occurremus ipsis, eosque paterna caritate complexi gaudebimus, Ecclesiam universam gratulari Nobis, quod filii Nostri qui mortui erant reverxerint, et qui perierant sint inventi. Id certe a Deo poscimus enixe et tu, Ven. Frater, preces tuas junge Nostris. Interim vero divini favoris auspiciem et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem tibi totique dioecesi tuae peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 4. septembbris 1869. Pontif. Nostr. anno XXIV.

PIUS PP. IX.

B.

Datum 30. Oct. 1869.

VENERABILI FRATRI HENRICO EDUARDO
Archiepiscopo Westmonasteriensis.

Venerabilis Frater! Salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum in litteris ad te, Venerabilis Frater, datis die 4. praeteriti septembbris, dixerimus, revocanda non esse in dubium quae ab oecumenico Concilio jam expensa fuerunt et judicata, nullique propterea damnatorum errorum patrocinio locum esse posse in novo Concilio, Nosque idcirco nequivisse acatholicos invitare ad disceptandum: discimus aliquot e dissentientibus sic ea verba intellexisse, ut omnem sibi praeclusam existimarent viam ad expoundendas difficultates, quibus detinentur, ne ad catholicas partes accedant, interceptumque sibi ferme censeant ad Nos aditum.

Adeo vero Nos, qui, licet immerentes, Illius vices gerimus in terris, qui venit salvum facere quod perierat, absumus ab iis quoquo modo repellendis, ut imo occurramus ipsis, nihilque votis incensioribus expetamus, quam ut revertenti cuilibet paterno affectu brachia pretendere possimus. Nec unquam certe silentium illis indicere voluimus, qui, prava institutione decepti, putantesque se recte sentire, dissensum suum a Nobis validis inihi argumentis arbitrentur, quae propterea a sapientibus prudentibusque

serio expendi desiderent. Licet enim id fieri nequeat in Concilio, viri tamen divinarum rerum periti a Nobis designandi ipsis non deerunt, quibus mentem suam aperire possint omniaque rationum momenta sententiae suae fidenter exponere, ut, ex ipso disceptationis solo veritatis assequendae studio institutae conflictu, uberiori luce perfundi valeant, qua ad illam perducantur.

Utinam id plurimi sibi proponant bonaque fide exequantur, cum id contingere nequeat sine magno ipsorum ceterorumque proventu: ipsorum quidem, quia Deus requirentibus se toto corde faciem suam ostendet, iisdemque praestabit quod cupiunt; aliorum vero, tum quia praestantium virorum exemplum efficacia sua carere non poterit, tum etiam quia isti, quo majore diligentia et labore veritatis beneficium sibi compararunt, eo impensiore studio beneficium idem ad ceteros porrigitur nitentur. Dum autem faustissimum hunc successum a divina clementia poscimus enixe, excipe, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem, quam superni favoris auspiciem et praecipuum Nostrae benevolentiae pignus tibi totique dioecesi tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die 30. octobris 1869. Pontificatus Nostri anno XXIV.

PIUS PP. IX.

XIV.

CONSTITUTIO SS. D. N. PII PP. IX.,

QUA

NUMERUS CENSURARUM LATAE SENTENTIAE RESTRINGITUR.

D. 12. OCT. 1869.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo nostro jampridem revol-

veremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinas ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excreuisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis; ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates angoresque conscientiae; Nos ejusmodi incoenmodis occurtere volentes, plenam eorumdem recensionem fieri Nobisque proponi jussimus, ut, diligent adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris, sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quantum cum hac Nostra Constitutione convenient, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

1. Omnes a Christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defidentes.

3. Schismaticos et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.

4. Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore

existentium ad universale futurum Concilium appellantes, neconon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5. Omnes interficienes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesisbus, Terroriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, neconon ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6. Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

7. Cogentes, sive directe sive indirecte, judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.

8. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alias laeden tes, vel perterrefacientes.

9. Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu gerentes vices eorum aut de mandato Ejusdem Romani Pontificis signatarum: neconon falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brévis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut gerentis vices praedictorum.

10. Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alias Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11. Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

12. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alias Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; neconon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus hoc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali

mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem prae sumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationi vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo noi agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae sub jacere declaramus:

1. Docentes vel defendantes sive publice, sive privatim propositione ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae item docentes vel defendantes tamquam licitam proxim inquirendi a poenitente nomen complicis prouti damnata est a Benedicto XIV. in Constitutio Suprema 7. julii 1744; *Ubi primum* 2. junii 1746; *Ad eradicandum* 28 septembris 1746.

2. Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, d. quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut aliis absolvat.

3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsun acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, ve quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4. Nomen dantes sectae *Massonicae*, aut *Carbonariae*, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates se palam seu clandestine machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec denunciaverint.

5. Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes, aut ausu temerari violantes.

6. Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniale ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constitutio *Decorum* praescriptam.

7. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiore alias eas admittentes.

8. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices:

9. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

10. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

11. Omnes, qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis

spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V.
Quam plenum 2. januarii 1554.

12. Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13. Omnes, qui excommunicatione multantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos* quarto kalendas aprilis 1567, Innocentii IX. *Quae ab hac Sede* pridie nonas novembris 1591, Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam* 26. junii 1592, et Alexandri VII. *Inter ceteras* nono kalendas novembris 1660 alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.

14. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia.

15. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

16. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimen criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus:

1. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; necnon omnes cum aliqua ex predictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2. Procurantes abortum, effectu sequuto.

3. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel criminis ea in re cooperantes.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subjacere declaramus:

1. Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notarios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2. Laedentes aut perterrefacientes Inquisidores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes,
Conc. Vatic.

aut comburentes,. vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

3. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae*, De Reb. Ecc non alienandis.

4. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia ir quibuslibet casibus expressis a Praedecessoribus Nostris Gregorio XV. Constit *Universi* 20. augusti 1622, et Benedicto XIV. Constit. *Sacramentum poenitentiae* 1. junii 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacerem volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

1. Suspensionem ipso facto incurront a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliquique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione.

2. Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurront aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3. Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurront Ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopali litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

4. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurront religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

6. Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurront, qui eundem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio:

eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensemetur, declaramus.

7. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto vel etiam a proprio Ordinario, posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem è sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurront, Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae sententiae reservata.

1. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurront Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentijs ad universale futurum Concilium appellantia.

2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato judice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacra menta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurront, donec ad arbitrium ejus, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios sacrosanctum Concilium tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti Nostris aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, necnon quorumcumque Collegiorum, Congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis

cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus comprehensis, vel non in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus, et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam, Sess. XXIV. cap. VI. *De Reform.*, in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas Eisdem Apostolicae Sedi speciali modo reservata declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes, suppressiones, atque abrogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse effore, suosque plenarios et integros effectus obtinere debere, ac reapse obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios ac quovis alias quacumque praeeminentia ac potestate fungentes, et functuros sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducenda, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigeri attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contraria quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prae sumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae mille

simo octingentesimo sexagesimo nono, quarto idus octobris, Pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

Marius Card. Mattei, Pro-Datarius. — N. Card. Paracciani Clarelli.

Loco + Plumbi.

Visa de Curia: Dominicus Bruti.

J. Cugnoni.

XV.

RESPONSA ALIQUA CONGREGATIONUM ROMANARUM

AD

JUBILAEUM ET PRECES INDICTAS OB FUTURUM CONCILIUM

PERTINENTIA.

A.

RESPONSUM S. POENITENTIARiae

de dubiis circa Jubilaeum.

D. 1. junii 1869.

Quamvis amplissimae facultates per Litteras Apostolicas diei 11. aprilis nuper elapsi a SS^{mo} D^{no} PIO PP. IX. concessae adeo in se perspicuae sint, ut nullum ambigendi locum relinquant, attamen ob notissimas rerum perturbationes nonnulla circa rectam praesertim illarum applicationem exorta sunt dubia, quae a Locorum Ordinariis huic s. Poenitentiariae solvenda proposita fuerunt. Cum vero difficile admodum ac prope impossibile foret singulorum postulatis satisfacere, s. Poenitentiaria opportunum censuit hujusmodi praecipua dubia eorumque resolutiones in unum colligere, et ad Locorum Ordinarios, benigne sic annuente eodem SS^{mo} D^{no}, transmittere, ut omnes in re tanti momenti concordi doctrina ac studio procedere possint; deque iis, sive per se sive per delectos ecclesiasticos viros, caute ac prudenter confessarios instruere valeant. Dubia autem ac resolutiones sunt quae sequuntur.

1. Se, in vigore delle facoltà contenute nelle Lettere Apostoliche degli 11. aprile; i Confessori approvati dagli Ordinarii possano assolvere coloro, che effettuarono l'invasione o ribellione dei dominj della S. Sede, i loro mandanti, aderenti, e cooperatori, e coloro,

che promossero leggi inique, e prestarono mano alla esecuzione delle medesime? ¹

- R. Affirmative, dummodo poenitentes exhibeant verae r̄esipiscentiae signa, scandalum reparaverint, aut saltem parati sint quamprimum illud reparare, meliori modo quo poterunt, atque obedientiam S. Sedi ejusque mandatis desuper ferendis sincere promiserint. Verum publici officiales, quorum officium aliquam cooperationem actibus a S. Sede reprobatis importare, seu legibus divinis et ecclesiasticis adversari videatur, non absolvantur, nisi dimisso prius officio; et, quatenus illud dimittere nequeant, ipsi Officiales consulant Loci Ordinarium, qui decernat et provideat juxta Litteras s. Poenitentiariae diei 26. julii 1867, quibus quidem Litteris omnino standum est.
2. Se, e come possano dai Confessori assolversi quegli Ecclesiastici, i quali formarono o sottoscrissero indirizzi contro il temporale dominio della S. Sede? ²
 - R. Affirmative, facta prius ac sufficienter publicata retractatione juxta Litteras s. Poenitentiariae diei 28. maji 1863.
 3. Se possano assolversi dai Confessori i violatori dell' immunità ecclesiastica personale, e locale, e della clausura? ³
 - R. Affirmative, satisfacta parte laesa, ac reparata, meliori quo potest modo, injuria Ecclesiae facta.
 4. Se, e come possano assolversi coloro, che acquistarono e posseggono beni ecclesiastici immobili alienati dal Demanio? ⁴
 - R. Poenitentes, qui detinent hujusmodi bona, non esse absolvendos, nisi prius Loci Ordinario, aut aliis viris ecclesiasticis, ab ipso Ordinario pro sua prudentia per Dioecesim designandis, consignaverint syngrapham ab eis subscriptam, seu coram testibus subsignatam, eidem Ordinario quamprimum transmittendam ac caute in Cancelleria Dioecesana aut alibi custodiendam, qua sequentibus obligationibus seu conditionibus se suosque heredes et successores subjicere declarant:

¹ Latine: An virtute facultatum Litteris Apostolicis d. d. 11. apr. datarum Confessarii ab Ordinariis approbati absolvere possint illos, qui effecerunt invasionem vel rebellionem dominiorum S. Sedis, item talium rerum mandatores, adhaerentes, cooperatorates; et illos, qui leges iniquas promoverunt et ad istas exsequendas auxilium praestiterunt?

² Lat.: An et quomodo possint a Confessariis absolviri illi Ecclesiastici, qui publicas declarationes contra temporale dominium S. Sedis sive conscripsérunt sive illis subscripterunt?

³ Lat.: An possint a Confessariis absolviri violatores immunitatis ecclesiasticae personalis et localis, atque clausurae?

⁴ Lat.: An et quomodo possint absolviri qui bona immobilia Ecclesiae per fiscum alienata coēmerunt vel possident?

- 1 a. Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae, ejusque mandatis subinde parendi.
- 2 a. Conservandi ipsa bona, et rem utilem in eis gerendi.
- 3 a. Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa.
- 4 a. Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis seu locis Piis, ad quae de jure pertinent.
- 5 a. Monendi heredes et successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant, ad quid tenentur.
5. Se possano assolversi, e sotto quali condizioni coloro, che acquistarono beni ecclesiastici immobili, e poi li vendettero ad altri, e che cooperarono a' contratti sopra i medesimi beni? ¹
- R. Affirmative, deposito lucro exinde *injuste percepto* in manibus Ordinarii, ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, quae damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus aliisque complicibus, ut propriae consulant conscientiae, et imposta singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis.
6. Se, e con quali ingiunzioni possano assolversi coloro, che acquistarono beni mobili ecclesiastici? ²
- R. Affirmative, imposta illis aliqua eleemosyna favore locorum piorum, ad quae dicta bona pertinebant, quatenus emerint pretio, quod judicio Ordinarii seu Confessarii fuerit minus justus. At, si agatur de rebus, quae non sint usu consumptibiles, seu quae servando servari possint, aut de suppellectilibus et vasis sacris, imponatur poenitentibus obligatio quamprimum recurrendi ad Loci Ordinarium ad hoc, ut super iisdem rebus provideat juxta Indultum ipsi Ordinario jam a s. Poenitentiaria concessum.
7. Se, e come possano assolversi coloro, che presero in affitto beni ecclesiastici occupati, od alienati dal Demanio? ³
- R. Affirmative, imposta Poenitentibus obligatione quamprimum recurrendi ad Loci Ordinarium, ad hoc, ut super bonis conductis provideat juxta Indultum ipsi Ordinario jam pariter a s. Poenitentiaria concessum.
8. Se, e come possano assolversi coloro, che presero in enfiteusi dal Governo beni ecclesiastici? ⁴

¹ Lat.: An et quibus sub conditionibus absolvitur possint ii, qui bona ecclesiastica coemerunt, postea vero aliis vendiderunt; deinde illi, qui contractibus de iisdem bonis cooperati sunt?

² Lat.: An et quibus satisfactionis operibus injunctis absolvitur possint qui bona mobili ecclesiastica acquisiverunt?

³ Lat.: An et quomodo absolvitur possint ii, qui conduxerunt bona ecclesiastica occupata vel per fiscum abalienata?

⁴ Lat.: An et quomodo absolvitur possint qui a gubernio bona ecclesiastica in emphyteusin suscepserunt?

- R. Hujusmodi poenitentes non esse absolvendos, nisi prius Ordinariis Loci, seu aliis viris ecclesiasticis, ut supra in dubio 4. ab Ordinario designandis syngrapham consignaverint, qua declarant se suosque heredes et successores subjicere sequentibus obligationibus seu conditionibus:
- 1 a. Conservandi eadem bona, et in eis rem utilem gerendi.
 - 2 a. Non utendi quocumque privilegio, et lege sive lata, sive ferenda quoad canonis affrancationem.
 - 3 a. Retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiae ejusque mandatis subinde ferendis quoad eorumdem bonorum restitutionem.
 - 4 a. Adimplendi pia onera, quae eisdem bonis sint adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur.
 - 5 a. Solvendi interim annum canonem, illumque augendi ad trahentes justitiae, et juxta aestimationem peritorum timorata conscientiae, si nimis tenuis in stipulatione contractus impositus fuerit.
 - 6 a. Monendi heredes et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.
9. Se, e come possano assolversi coloro, che non solo presero dal Governo in enfiteusi beni ecclesiastici, ma ancora gli affrancarono?
- R. Hujusmodi Poenitentibus providendum prout in superiori responsione ad dubium sub n. 4.
10. Se, e come possano assolversi coloro, che hanno redento censi dritti ecclesiastici di natura redimibili? ²
- R. Affirmative, dummodo prius in manibus Ordinarii erogent quidquid minus de capitali summa Gubernio persolverint, ad effectum illuc conservandi favore locorum piorum, ad quae censu& seu jura redempta pertinebant.
11. Se, e come possano assolversi coloro, che affrancarono canoni livelli, prestazioni, od altri dritti ecclesiastici di natura non redimibili? ³
- R. Posse absolvi, dummodo prius, prout in responso ad dubium sub n. 4. syngrapham consignaverint, qua declarant se suosque successores subjicere sequentibus obligationibus et conditionibus:
- 1 a. Retinendi fundos sic invalide affrancatos ad nutum Ecclesiae ejusque mandatis subinde parendi.
 - 2 a. Conservandi eosdem fundos, et rem utilem in eis gerendi.

¹ Lat.: An et quomodo absolvi possint qui a gubernio bona ecclesiastica non solun in emphyteusin, sed etiam in affrancationem suscepérunt?

² Lat.: An et quomodo absolvi possint qui census et jura ecclesiastica, quae natura sua redimi possunt, sibi coēmerunt?

³ Lat.: An et quomodo absolvi possint qui canones, livella, praestationes et alia iuris ecclesiastica, quae natura sua redimi non possunt, affrancaverunt?

- 3 a. Servandi indemnia quocumque tempore loca pia super integra perceptione canonis, livelli, ac praestationis ac super quibusvis aliis juribus, quae ad ipsa loca pia exinde spectabant; necnon adimplendi prout de jure pia onera fundis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur.
- 4 a. Monendi heredes et successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciант, ad quid teneantur.
12. Se nelle facoltà del Giubileo sia compresa anche quella di assolvere i penitenti dall' eresia?¹
- R. Affirmative, abjuratis prius et retractatis erroribus prout de jure.
13. Se, durante il Giubileo, chi fosse già stato in forza di esso assoluto da censure e casi riservati, cadendo di nuovo in casi e censure riservate possa essere assoluto per la seconda volta ripetendo le opere ingiunte?²
- R. Negative.
14. Se chi ha conseguito già una volta l'indulgenza del Giubileo possa conseguirla di nuovo, purchè ripeta le opere ingiunte?³
- R. Affirmative.
15. Se i Confessori possano usare delle facoltà straordinarie, con chi dimandasse bensì di essere assoluto e dispensato; ma non avesse volontà di fare le opere ingiunte, e lucrare il Giubileo?⁴
- R. Negative.

Datum Romae in s. Poenitentiaria die 1. junii 1869.

*Antonius Maria Card. Panebianco,
Poenitentiarius major.*

L. Can. Peirano, S. P. Secretarius.

B.

**RESPONSUM S. CONGREGATIONIS SS. RITUUM
de missa et collecta Spiritus S. ex occasione Concilii injunctis.**

D. 3. julii 1869.

De Missa Spiritus Sancti quam Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. Litteris apostolicis in forma Brevis datis die 11. aprilis anni

¹ Lat.: An inter facultates Jubilaei comprehendatur etiam facultas absolvendi poenitentes ab haeresi?

² Lat.: An quis tempore Jubilaei virtute ejusdem a casibus et censuris reservatis jam absolutus, si denuo in casus et censuras reservatas inciderit, secundum possit absolvire repetendo opera bona injuncta?

³ Lat.: An quis jam semel lucratus indulgentiam Jubilaei denuo possit eandem consequi, siquidem opera bona injuncta repetiverit?

⁴ Lat.: An confessarii facultatibus extraordinariis uti possint erga illos, qui absolvunt quidem et dispensationem recipere volunt, nec vero voluntatem habent faciendi bona opera injuncta et lucrandi Jubilaei?

1869, omnibus Ecclesiis Capitularibus et Conventualibus Urbis et Orbis praeter consuetam Conventualem celebrandam qualibet feria V. injunxi et de collecta de eodem Spiritu Sancto in missis quotidie addenda, sequentia dubia sacrorum Rituum Congregationi exhibita fuerunt, nimis run-

Dubium I. An praedicta missa votiva de Spiritu Sancto debeat esse cantata vel lecta?

Dubium II. An huic missae addi debeat *Gloria* et *Credo*?

Dubium III. An haec missa omittenda sit in octavis privilegiat Paschatis et Epiphaniae, itemque Nativitatis et Corporis Christi, praesertim si est lecta?

Dubium IV. Qua hora haec missa celebrari debeat?

Dubium V. An in hac missa unica oratio, vel plures ut in missis votivis dici debeant?

Dubium VI. An sit onus impositum Canonicis vel potius Ecclesiae?

Dubium VII. In Ecclesiis praesertim Sanctimonialium, in quibus a tentis temporum circumstantiis una missa vix potest celebrari, quid fieri debeat? quaenam omittenda?

Dubium VIII. An collecta de Spiritu Sancto debeat omitti in diebus primae et secundae Classis?

Haec autem dubia quum subscriptus Secretarius retulisset in Ordinariis sacrorum Rituum Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, Ex auctoritate R. P. Patres, sacris tuendis Ritibus praepositi, auditio prius voto alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarato typisque evulgato, rescribendum censuerunt.

Ad I. *In omnibus Cathedralibus et in Collegiatis, ubi quotidie canitur missa Conventualis, cantari debet etiam missa de Spiritu Sancto; in aliis Ecclesiis, in Brevi apostolico designatis, haec missa debet legi vel capitulo legitur vel canitur missa conventualis.*

Ad II. *In casu tam in missa cum cantu, quam in missa sine cantu addatur Gloria et Credo.*

Ad III. *Standum est praescriptioni Brevis, ideoque singulis feriis in quibus non occurrat duplex primae vel secundae classis, est celebrandus etiam si celebretur lecta.*

Ad IV. *Cantetur aut legatur post Nonam, et etiam post omnes missas Rubricis eadem die praescriptas.*

Ad V. *In casu dici debet una tantum oratio tam in missa cum cantu quam in missa sine cantu.*

Ad VI. *Est onus Ecclesiae, et haberi debet ut pars servitii chorali.*

Ad VII. *Moniales non comprehendendi.*

Ad VIII. *Negative; et in Festis primaे classis dici debet sub unicue conclusione; in Festis vero secundae classis cum propria conclusione. Atque ita rescripserunt. Die 3. julii 1869.*

Facta autem per me infrascriptum Secretarium de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua sacrae Congregationis responsa approbavit, confirmavit ac servari mandavit. Die 8. iisdem mense et anno.

C. Epis. Portuen. et S. Rufinæ, Card. Patrizi, S. R. C. Praef.

Loco † Signi.

D. Bartolini, S. R. C. Secretarius.

C.

RESPONSUM S. CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUARUM

de quibusdam dubiis circa Jubilaeum.

D. 10. jul. 1869.

Editis Litteris Apostolicis in forma Brevis die 11. aprilis 1869, quibus SS^{mus} D. N. Pius PP. IX. omnibus Christifidelibus indulgentiam plenariam in forma Jubilaei occasione Oecumenici Concilii concessit, huic S. Congregationi Indulgentiarum et SS. Reliquiarum infrascripta proposita sunt dubia praesertim circa jejunia, quae Christifideles servare debent, ut indulgentiam hujus Jubilaei lucrari valeant. Quibus sedulo perpensis S. Congregatio, benigne annuente SS^{mo} Domino, respondendum censuit prout respondet.

Dubium I. Inconcussi juris est, operibus alias praeceptis satisfieri non posse obligationi de operibus injunctis ad acquirendas indulgentias, nisi aliud constet expresse de mente concedentis; nihilominus pro hoc Jubilaeo oritur dubium, quia in Litteris Apostolicis legitur „*praeter consueta quatuor anni tempora, tribus diebus etiam non continuis, nempe quarta et sexta feria, et sabbato jejunaverint.*“ Quaeritur an standum sit regulae generali, ita ut ad effectum lucrandi indulgentiam omnes dies jejunii, ad quod quisque tenetur, vel dies jejunii quatuor anni temporum dumtaxat excludantur?

R. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Dubium II. An jejunia quatuor anni temporum, attenta voce illa *praeter*, ultra tria jejunia pro Jubilaeo expresse praescripta, habenda sint uti opus injunctum ad indulgentiam acquirendam?

R. Negative.

Dubium III. An iis, qui aut voto, aut praecepto, uti sunt Franciscales, aut quocumque alio titulo tenentur toto anni tempore jejunare aliquo die ex diebus praescriptis pro Jubilaeo, suffragetur tale jejunium ad lucrandam indulgentiam?

R. Affirmative.

Dubium IV. Cum Religiosi S. Francisci teneantur jejunare a secunda

die novembris usque ad Nativitatem Domini, quaeritur, utrum hoc decente tempore ipsi possint unico jejunio tribus praescriptis diebus satisfacere duplici obligationi tum praeecepti, tum Jubilaei?

R. Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto, dummodo esuribus tantum cibis pro dictis tribus Jubilaei jejuniis utantur, quavis fortasse ab usu ciborum esurialium dispensationem pro di Quadragesima obtainuerint.

Dubium V. Ad idem dicendum sit pro Quadragesima Ecclesiae eti quoad Christifideles?

R. Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto, ut in responsis ad quartum dubium, et cum eadem conditione in ea apposita.

Dubium VI. Utrum jejunia pro Jubilaeo praescripta debeant e *jejunia stricte sumpta*, etiam quoad qualitatem ciborum sicuti ea, quae Ecclesiae praeecepto adimplenda sunt, quin tamen quis uti possit indulsi quae pro jejuniis Ecclesiae obtenta fuerint?

R. Affirmative, nisi aliquod speciale indultum, in quo etiam de Ju laci jejunio expressa mentio fiat, obtineatur.

Dubium VII. Si quis indultum vescendi carnibus etiam pro jeju Jubilaei consequatur, teneturne lege de non permiscendis epulis, nec carnibus cum piscibus?

R. Affirmative.

Dubium VIII. An ii, qui ad statutam aetatem pro jejunii obligatio nondum pervenerint, neconon operarii aliique, qui ob legitimam causam jejunia ab Ecclesia praeepta non tenentur, debeant jejunare, ut indulgiam Jubilaei lucentur?

R. Affirmative. Quod si judicio Confessarii id praestare nequiverit Confessarius ipse poterit jejunium in alia pia opera commutare.

Dubium IX. In Litteris Apostolicis legitur „*tribus diebus etiam i continua*“ Quaeritur an in hoc Jubilaeo ob dicta verba singuli dies junii in diversas hebbdomadas dividi possint?

R. In hoc Jubilaeo affirmative.

Dubium X. Attenta clausula „*hac vice tantum*“ quaeritur, an qui censuras et casus reservatos inciderit, una tantum vice absolviri possit, predixit Bened. XIV. in Constit. „*Inter graviores*“, vel potius in hoc bilaeo toties quoties in censuras et casus reservatos incurriterit, absolviri possit?

R. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Dubium XI. An qui privilegio Bullae Cruciatæ gaudet, hoc tantum titulo, sine alia causa, in jejuniis Jubilaei carnibus vesci possit?

Dubium XII. An saltem vesci valeat ovis et lacticiniis?

R. Ad XI. et XII. Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto, ii, qui privilegio Bullae Cruciatæ legitimate fruuntur, tantum o et lacticiniis in jejuniis pro hoc Jubilaeo praescriptis uti posservata in ceteris jejunii ecclesiastici forma.

Datum Romae e Sacra Congregatione Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 10. juli 1869.

A. Card. Bizzarri, Praefectus.

Pro R. P. D. Secretario

Dominicus Sarra, Pro-Substitutus.

D.

RESPONSUM S. CONGREGATIONIS SS. RITUUM,

quo conceditur Episcopis eorumque consultoribus et capellanis, ut in Missa et Breviario sequi possint Calendarium Romanum.

D. 19. Aug. 1869.

SS. D. N. Pius Papa IX., ad enixas preces R^{mi} D. Josephi Fessler, Episcopi S. Hippolyti ac proximi Concilii oecumenici Vaticani a Secretis, ab infrascripto substituto secretario SS. Rituum Congregationis relatas, de speciali gratia benigne annuit, ut Sacrorum Antistites ritus latini, qui Romanum venient ad praedictum Concilium, eorum in Urbe commemoratione durante, in sacrosancti missae sacrificii celebratione et in horarum canonicarum recitatione pro eorum lubitu conformare se valeant kalendario et proprio cleri ipsius Urbis: quo quidem privilegio indulxit, ut frui possint sacerdotes eorumdem servitio addicti vel tamquam consultores vel tamquam cappellani. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19. augusti 1869.

C. Ep. Portuensis et S. Rufinae, Card. Patrizi, S. R. C. Praef.

Pro R. P. D. Bartolini secretario *Josephus Ciccolini* Substit.

XVI.

ELENCHUS

VESTIUM ET SACRORUM PARAMENTORUM,

QUAE

REVERENDISSIMI DD. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI LATINI RITI
 ROMAM ADVENIENTES
 PRO OECUMENICO CONCILIO VATICANO CELEBRANDO
 SECUM DEFERRI CURABUNT.

1. *Vestes Praelaticias* ea forma, quae praescripta est in Caeremoniis Romano lib. I. cap. 1. pro Antistitibus ex Clero saeculari §. 1; ex ordine vero regulari promoti §. 3, et biretum nigrum.
2. *Cappam*, de qua sermo est in memorato 1. libro Caerem. cap. 3. §.
3. *Amictum et tria pluvialia*, unum coloris albi, alterum coloris rutilium violacei, quae tamen non sint auro vel argento illita, aut impressa, vulgo *ricamati*.
4. *Mitram* ex lino coloris albi.

Aloys. Ferrari Protonot. Apost.,
 SS^{mi} D. N. et S. Sedis Caerem. Praef.

XVII.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE IX.

CONSTITUTIO
DE ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS,

SI CONTINGAT SEDEM APOSTOLICAM VACARE DURANTE CONCILIO OECUMENICO.

D. 4. DEC. 1869.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad futuram rei memoriam.

Cum Romanis Pontificibus in B. Petro Apostolorum Principe pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plena potestas tradita fuerit pax et unitas ipsius Ecclesiae in grave discrimen facile adducerentur, si, Apostolica Sede vacante, in electione novi Pontificis quidquam fieri contingeret, quod eam incertam ac dubiam reddere posset.

Ad tam funestum periculum avertendum plures a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris, ac praesertim a fel. record. Alexandro III. in generali Concilio Lateranensi III.¹, a B. Gregorio X. in generali Concilio Lugdunensi II.², a Clemente V.³, a Gregorio XV.⁴, ab Urbano VIII.⁵ et a Clemente XII.⁶ editae sunt Constitutiones, quibus dum multa alia praescribuntur, ut negotium tanti momenti rite recteque expediatur, generatim et absque ulla exceptione declaratur ac decernitur, electionem Summi Pontificis ad S. R. E. Cardinalium Collegium unice et exclusive spectare.

Haec Nos animo recolentes, cum oecumenicum et generale Concilium Vaticanum per Apostolicas Litteras, quae incipiunt *Aeterni Patris* III. kal. julias anno 1868, a Nobis indictum, in eo iam sit, ut solemniter initietur,

¹ Cap. *Licet de Electione.*

² Cap. *Ubi de Electione in 6.*

³ Clement., 2, de Electione.

⁴ Constit. *Decet Romanum Pontificem.*

⁵ Constit. *Ad Romani Pontificis*, V. kal. februarii 1628.

⁶ Constit. *Apostolatus*, IV. nonas octobris 1732.

Apostolici Nostri muneris esse ducimus, quamcumque occasionem disco diarum et dissensionum circa electionem Summi Pontificis praevenire & praecidere, si Divinae voluntati placuerit, Nos, eodem Concilio perdurant ex hac mortali vita migrare.

Quapropter exemplo permoti fel. record. Julii II., Decessoris Nostri de quo compertum ex historia est¹ tempore generalis Concilii Lateranensis letali morbo corruptum Cardinales coram se convocasse, ac de legitim Successoris Sui electione sollicitum illis adstantibus edixisse, hanc non praedicto Concilio, sed ab eorum tantum Collegio esse perficiendam, pro reapse memorati Julii sequuta morte factum fuisse constat, atque exempl insuper excitati aliorum Decessorum Nostrorum item fel. rec. Pauli III. Pii IV., quorum primus Apostolicis Litteris datis III. kal. decembris a 1544., alter vero similibus Litteris datis X. kal. octobris 1561., casu mortis suae praevidentes, cum Tridentina Synodus celebraretur, decreverunt, ejusmodi casu occurrente electionem novi Pontificis nonnisi a. S. I. E. Cardinalibus esse faciendam, exclusa prorsus quacumque memorata Synodi participatione: atque insuper de his habita cum nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione et diligentie examine, ex certa scientia Nostra, motu proprio ac apostolicae potestatis plenitudine declaramus, decernimus atque statuimus quod, si placuerit Deo, mortali Nostrae peregrinationi praedicto genera Concilio Vaticano perdurante, finem imponere electio novi Summi Pontificis, in quibuscumque statu et terminis Concilium ipsum subsistat, nonni per S. R. E. Cardinales fieri debeat, minime vero per ipsum Concilium atque etiam omnino exclusis ab eadem electione peragenda quibuscumque aliis personis cuiusvis, licet ipsius Concilii auctoritate forte deputandi praeter Cardinales praedictos.

Quin imo ut in ejusmodi electione memorati Cardinales, omni prorsu impedimento submoto et quavis perturbationum et dissidiorum occasion sublata, liberius et expeditius procedere queant, de eadē scientia & apostolicae potestatis plenitudine illud praeterea decernimus atque statuimus, ut, si, praedicto Vaticano Concilio perdurante, Nos decidere contigerit idem Concilium, in quibuscumque statu et terminis existat, illico et immediate suspensum ac dilatum intelligatur, quemadmodum per Nostras ha litteras illud nunc pro tunc suspendere atque in tempus infra notandur differre intendimus, adeo ut nulla prorsus interjecta mora cessare statim debeat a quibuscumque conventibus, congregationibus et sessionibus, et quibusvis decretis seu canonibus conficiendis, nec ob qualemcumque causam, etiamsi gravissima et speciali mentione digna videatur, ulterius progredi, donec novus Pontifex a Sacro Cardinalium Collegio canonice electus supra sua auctoritate Concilii ipsius reassumptionem et prosequutionem duxerit intimandam.

¹ Raynald, Annal. Eccles. ad annum 1513. N. VII.

Opportunum autem censentes, ut quae occasione praedicti Concilii Vaticani hactenus ordinavimus tum quoad Summi Pontificis electionem, tum quoad ejusdem Concilii suspensionem, certam stabilemque normam in simili rerum eventu perpetuo servandam suppeditent, pari scientia et potestate decernimus atque statuimus, ut futuris quibuscumque temporibus, quandocumque contigerit Romanum Pontificem decedere, perdurante celebratione alicujus Concilii oecumenici, sive Romae illud habeatur, sive in alio quovis orbis loco, electio novi Pontificis ab uno S. R. E. Cardinalium Collegio semper et exclusive juxta regulam superius definitum fieri debeat, atque ipsum Concilium, pariter juxta regulam superius sancitam, statim ab accepto certo nuntio demortui Pontificis suspensum ipso jure intelligatur et tamdiu dilatum, donec novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari jusserit.

Praesentes autem litteras semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, aut qualibet causa de subreptionis, vel obreptionis seu nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, vel alio quopiam, quantumvis substantiali inexcogitato et inexcogitabili ac specificam et individuam mentionem aut expressionem requirente defectu, aut ex quocumque alio capite a jure statuto, vel quocumque praetextu, ratione, aut causa quantumvis tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, redargui, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari posse; neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium dispositionum revocationibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de hisce praesentibus earumque toto tenore ac data specialis mentio fieret, pro tempore factis et concessis ac faciendis et concedendis comprehendi; sed semper et omnino ab illis excipi debere atque ex nunc quidquid contra praemissa, Apostolica Sede vacante, quavis auctoritate etiam memorati Concilii Vaticani, vel alterius cujuscumque futuris temporibus Concilii oecumenici, licet de unanimi consensu hodiernorum, seu pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium scienter vel ignoranter fuerit attentatum, irritum et inane ac nullius roboris decernimus.

Non obstantibus quatenus opus sit, felicis recordationis Alexandri Papae III. Decessoris Nostri in Concilio Lateranensi edita, quae incipit „*Licet de vitanda*“, et quibuscumque aliis etiam in universalibus Conciliis latis specialibus vel generalibus Constitutionibus Apostolicis, quamvis in corpore juris clausis, et sub quibuscumque tenoribus et formis ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu pari ac consistorialiter statutis, quibus omnibus et singulis, quatenus pariter opus sit, eorumque omnium tenoribus, perinde ac si praesentibus de verbo ad verbum exprimantur, pro insertis et expressis habentes, in ea

tantum parte, quae praesentibus adversatur, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium in singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissime et plenissime ac sufficienter ne non specialiter et expresse harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam Nostrae declarationis, ordinationis, statuti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel illis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se neverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae mille-simo octingentesimo sexagesimo nono. Pridie nonas decembribus Pontificatus Nostri anno vigesimoquarto:

M. Card. Mattei, Pro-Datarius. — N. Card. Paracciani Clarelli.

Loco + Plumbi.

Visa de Curia: Dominicus Bruti.

J. Cugnoni.

SS. D. N. Pius IX. in ea, quam supra habes, Constitutione alias Bullas suorum Decessorum allegat, inter quas Constitutio Gregorii XV. „Decet Romanum Pontificem“, Caeremoniale in eligendo novo Pontifice prescribit. Quare illud hic transscribere juvabit. V. Bullar. M. Aug. Taur. XII, p. 662 ss. a. 1867.

CAEREMONIALE

IN ELECTIOINE SUMMI RÖMANI PONTIFICIS OBSERVANDUM.

G R E G O R I U S E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I

ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, quae ad Ecclesiae Catholicae felix regimen salubriter a se statuuntur, ut quam facillime observerintur, pastorali sollicitudine providere, et ea, per quae a se decreta debitum sortiuntur effectum, stabilire. Siquidem postquam novam Constitutionem de Romani Pontificis electione ob causas in ea expressas divina aspirante gratia edidimus; ne ejus usus et observantia, veteri rituali Ecclesiae Romanae fere inutili ob eamdem Constitutionem redditio, proprii caeremonialis directione destitueretur, novum, prout sequitur, confici mandavimus. Quod cum post nonnullorum S. R. E. cardinalium, quibus negotium commisimus, diligens, ut res postulabat, adhibitum examen, confectum

fuerit, et a nobis approbatum, ut illud cum omnibus et singulis in eo contentis inviolabiliter observetur, ex nostri pastoralis officii debito providendum censuimus.

Tenor autem illius est qui sequitur.

Caeremoniale.

Romanó Pontifice vita functo, cardinales, praestito in prima congregatiōne juramento de observanda Constitutione Gregorii Papae XV. de réformatione conclave, una cum aliis constitutionibus, quae legi et jurari in ea hactenus consueverunt, exequias pro ejus anima, juxta ritum hucusque observatum, per novem continuos dies facere debent; nisi forte in illis novem diebus aliquod festum ex praecipuis et magnis incideret, propter cujus observantiam exequias intermitte debere cardinalibus videretur; hoc enim casu in numero quidem novem dierum exequiarum intermissarum dies computantur: verum impensa, quae in omissis exequiis facienda esset, in pauperes Christi juxta Pii IV. Constitutionem distribuenda est.

Qua etiam Constitutione, ut exequiarum impensis, quae jam in immensum excreverant, modus et finis aliquis esset, cautum est, ne impensae illorum novem dierum decem ducatorum millium summam, computatis omnibus, praeter regalia Populo Romano praestari solita, excederent, et ut earum impensarum distributio juste fieret, tribus ex antiquioribus cardinalibus, uni scilicet ex quolibet ordine, ac S. R. E. camerario commissa fuit.

Exequiis defuncti Pontificis completis, et interim conclavi opportuno praeparato, cardinales in basilica sancti Petri, vel alibi pro temporis et loci opportunitate conveniunt, ubi per decanum sacri collegii, vel, eo impedito, per alium ex antiquioribus cardinalibus missa de Spiritu Sancto celebratur, et in fine per aliquem praelatum aut alium virum doctum, habetur oratio, in qua monentur, ut sepositis omnibus privatis affectibus, solum Deum p̄ae oculis habentes, sanctae Romanae et universalī Ecclesiae de Pastore sufficienti et idoneo providere omni qua possunt brevitate ac diligentia carent, ad apostolicarum constitutionum et sacrorum conciliorum praescriptum.

Re divina peracta, clericus caeremoniarum capit crucem papalem et procedit, quam cardinales sequuntur, episcopi primum, deinde presbyteri, postremo diaconi cum suis cappis violaceis: crucem praecedunt familiares cardinalium, et immediate cantores hymnum *Veni Creator Spiritus* cantantes; post cardinales sequuntur prælati, atque ita processionaliter procedentes, conclave ingrediuntur, et cum ad capellam pervenerint, cardinalium decanus apud altare dicit orationem *Deus, qui corda fidelium,* qua finita leguntur et jurantur per cardinales constitutiones de Romani Pontificis electione et una cum eis Constitutio novissima Gregorii XV. Deinde cardinales, post sermonem habitum per decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negotium rite et recte peragendum hortatur, ad cellas sorte inter eos juxta Constitutionem Pii IV. distributas divertunt, et post prandium omnes rursus simul congregantur; officiales conclavis et alii praestant sacro collegio juramenta consueta.

Cardinales autem ingressi conclave non exeat vespere reversuri, sed in ipso omnino permaneant. Ipsumque conclave, post ter jussu cardinalis decani personatam campanulam, videlicet prima vice circa primam horam noctis, secunda circa secundam, et tertia circa tertiam, exclusis omnibus, qui in conclavi remanere

non debent, intus et extra claudatur, et claves S. R. E. camerario ac magistro caeremoniarum et praelatis custodibus conclavis solitum assignentur.

Deinde accensis funeralibus, tres cardinales capita ordinum et camerarius una cum magistro caeremoniarum latebras et angulos omnes conclavis diligenter perquirunt, ne quis ex iis, qui esse in conclavi prohibentur, intus remanserit. In conclavi autem esse possunt familiares cardinalium, et alii officiales et ministri conclavis, qui in constitutione Pii IV. recensentur, quibus adduntur duo alii, unus famulus pro magistris caeremoniarum, et alias pro secretario sacri collegii; hac tamen conditione adjecta, ut famulus magistrorum caeremoniarum actu uni ex illis inserviat, et per sex menses ante fuerit ejus continuus commensalis, quae conditio in famulo secretarii similiter exigitur: omnium autem istorum conclavistarum post prandium diei sequentis fit recognitio, ne quis inter illos forte esset ex iis, qui in conclavi esse non possunt, quae recognitio ut certius fiat, jubentur conclavistae omnes intrare cappellam, et postea singillatim recensentur.

Clauso conclavi, servari debent omnia, quae de colloquiis, litteris et cibis, et quae de non ingredientibus cardinalibus, aut iisdem, aut eorum familiaribus, postquam ingressi sunt, exeuntibus, in Constitutione Pii IV. sancita sunt. Quod vero attinet ad vestes, non solum cum ad electionem cardinales procedunt, croceis uti debent, sed, juxta vetus caeremoniale cum aliquid collegialiter agendum est.

Porro capitula, quae ante electionem fieri solent a singulis cardinalibus subscribenda, etiam ad favorem conclavistarum fieri poterunt, vel ante ingressum conclavis, vel post ingressum, dummodo per ea non retardetur, aut differatur ingressus vel electio. Quoniam autem, juxta Constitutionem Pii IV. cardinales, qui saltem in ordine diaconatus constituti non sunt, ad electionem Romani Pontificis non admittuntur, inspicendum erit, antequam ad electionis negotium procedatur, an aliqui ex cardinalibus praesentibus ordine praedicto careant, nam, si careant, a suffragio ferendo excludendi erunt, nisi privilegio pontificio muniti sint. De cardinali autem, cui ante mortem Pontificis os fuit clausum, aliquando dubitatum est, verum a Pio V. fuit haec dubitatio sopita per ejus decretum editum XXVI. januarii MDLXXI., quo declaravit hujusmodi oris clausuram caeremoniam quamdam esse ea de causa introductam, ut cardinales, antequam in consistoriis et congregationibus suffragium ferant, de modestia, quae ab ipsis in his et aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur, non autem pertinere ad praecipuam cardinalium facultatem, quae circa summi Pontificis electionem versatur, quae declaratio Pii V. semper hucusque observata fuit.

Quoniam autem ex Gregorianâ Constitutione ad actum electionis, sub poena nullitatis, devenire non possunt patres, nisi clauso conclavi: tres cardinales et camerarius, ejusdem Constitutionis exsequutores deputati, providebunt, ut, statim post clausum conclave, diligens per aliquos fiat inquisitio super ipsa clausura, eaque in effectu reperta, curabunt, ut de ea publicum fiat documentum per magistrum caeremoniarum rogandum, et post hujusmodi documentum, etiamsi conclave in totum vel pro parte, de facto apertum fuisse reperiatur, semper tamen clausum, et pro clauso censeri et haberi debet ad effectum validitatis electionis, donec de consensu duarum partium cardinalium praesentium per secreta suffragia apertum esse declaretur. Haec tamen declaratio, electioni, quae ante ipsam facta fuerit, nullatenus praejudicare debet, neque ob ipsam declarationem praecedens electio impugnari potest.

Mane sequenti post clausum praecedenti nocte conclave, post solitum cam-

panulae sonum, convenient cardinales in eo praesentes, qui infirmitate non sunt impediti, ad cappellam Paulinam, et ibi celebrata consueta missa, et facta cardinalium communione, statim ad negotium electionis procedere debent, quod quidem hodie ex Gregorii Constitutione uno tantum ex tribus modis sive formis peragendum est, alioquin electio nullitatis vitio subjet.

Primus modus est, qui quasi per inspirationem vocatur: quando scilicet omnes cardinales quasi afflati Spiritu Sancto aliquem unanimiter et viva voce Summum Pontificem proclamant: circa quem modum ex Constitutione Gregoriana infrascripta notari possunt:

Primum, haec forma electionis practicari potest solum in conclavi et eo clauso: secundo, debet fieri electio secundum hanc formam ab omnibus et singulis cardinalibus in conclavi praesentibus: tertio, communiter et nemine eorum dissentiente: quarto, nullo praecedente de persona tractatu, et per verbum *eligo* intelligibili voce prolatum aut scripto expressum, si voce non possit proferri. Exemplum autem hujus potest esse hujusmodi: si aliquis patrum, clauso conclavi, nullo, ut praefertur, praecedente speciali tractatu, diceret: *Reverendissimi domini, perspecta singulari virtute et probitate R. D. N., judico illum eligendum esse in summum Pontificem, et ex nunc ego ipsum eligo in Papam;* deinde, hoc auditio, si ceteri patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam, eodem verbo *eligo* intelligibili voce prolati, aut si non potest, in scriptis expresso, eundem N., de quo nullus specialis tractatus praecessit, communiter eligerent, ipse N. esset canonice electus et verus Papa, secundum hanc electionis formam, quae dicitur per inspirationem.

Secundus modus est per compromissum, quando scilicet cardinales, ad electionem per hanc formam seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae Catholicae provideant de Pastore. Cujus formae praxis potest esse hujusmodi: primo omnes et singuli cardinales in conclavi praesentes, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex patribus compromissum faciunt, exempli gratia in hanc formam: *In nomine Domini, amen. Anno ab ejusdem, etc., mense, etc., die, etc., nos episcopi, presbyteri et diaconi S. R. E. cardinales omnes et singuli in conclavi existentes, videlicet NN. (et singillatim omnes nominentur cardinales) elegimus et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter et concorditer, nemine discrepante, elegimus compromissarios N., N., et N. cardinales, etc., quibus damus plenariam facultatem et potestatem providendi S. R. E. de Pastore, sub hac forma videlicet....* (hic optimum erit, ut cardinales compromittentes exprimant modum et formam, secundum quam compromissarii debebunt eligere, et secundum quam electus debet censeri verus et legitimus Papa, ut puta, si electi sint tres compromissarii, declarandum est, an ad hoc, ut electio sit valida, prius proponere debeant sacro collegio personam, vel personas ab ipsis nominandam, vel nominandas ad pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam personam, an vero sufficiat, quod duo in unam concordent, et an debeant nominare aliquem de collegio, vel etiam aliquem extra collegium: et alia his similia). His autem vel aliis similibus expressis, addi compromissioni solet tempus, ad quod usque volunt cardinales potestatem compromissarios habere eligendi, et postea subjunguntur haec verba: *Et promittimus, nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem DD. compromissarii secundum formam praedictam duxerint eligendum; vel alia ad formam compromissarii praescriptam accommodata.*

Secundo, completo hujusmodi mandato, compromissarii ad partem in aliquo loco separato se conferunt, et de electione facienda tractant, et solet inter eos praemitti protestatio, quod per quamcumque prolationem verborum suum datum consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponant. Et haec protestatio videtur necessaria inter compromissarios, ut verbis humanis et reverentialibus inter se sine praejudicio uti possint.

Tertio, facta per compromissarios electione secundum formam eis prescriptam, et servatis iis, quae Gregorius XV. in sua Constitutione jussit, electi per hujusmodi viam compromissi est canonicus et verus Papa.

Tertius modus seu forma electionis Romani Pontificis est, quae vocatur prescrutinium, vel per scrutinium et accessum, cuius formae ritus secundum Gregorianam Constitutionem, quae vult non solum scrutinium fieri secretum, sed etiam accessum, continet tres actiones, alteram quae *antescrutinum*, alteram quae *scrutinum*, et tertiam quae *postscrutinum* appellari potest.

Antescrutinii actus sunt quinque, videlicet: praeparatio schedularum scrutinij et accessus, extractio scrutatorum et deputatorum pro votis infirmorum per somum, scriptio schedularum scrutinij, earum complicatio, et obsignatio.

Schedularum praeparatio ad magistros caeremoniarum pertinet, qui eas in pressas, ubi fieri poterit, alioquin unius manus scriptas secundum formam inferi describendam accipient tam pro scrutinio quam pro accessu, et ponent in duobus discis vulgo *bacili* nuncupatis, quos in mensa ante altare collocabunt, ut impossint cardinales, cum opus fuerit, schedulas sumere.

Forma autem schedulae scrutinij, quoad ejus figuram attinet, erit altera parte longior, hoc est plus longa, quam lata; longitudo ejus erit fere palma latitudo autem dimidii palmi. Quo vero ad contenta in ea, in anteriori ejus parte, quae brevitatis gratia facies nominari potest, tria continere debet: prim in superiori parte, secundum ejus latitudinem, duo haec verba *ego cardinali* cum tanta ab invicem distantia, ut inter ipsa nomen proprium cardinalis eligeretur.

Exemplum faciei schedulae scrutinij.

	<i>Ego ... Card.</i>	
<input type="radio"/>		<input type="radio"/>
<i>Eligo in Summum Pontificem Rmum D. meum de Cardin.</i>		
<input type="radio"/>		<input type="radio"/>

Exemplum faciei schedulae accessus.


	<i>Ego ... Card.</i>	
<input type="radio"/>		<input type="radio"/>
<i>Accedo Rev.mo Domino meo D. Cardin.</i>		
<input type="radio"/>		<input type="radio"/>

tis scribi possit, et paulo inferius duos circulos parvos, ad loca sigillorum indicanda: secundo, in medio continere debet haec verba: *Eligo in Summum Pontificem reverendissimum dominum meum D. Cardinalem*: tertio, in parte inferiori alias duos parvos circulos, ad loca sigillorum similiter demonstranda.

Forma vero schedulo accessus, eadem prorsus est, quae scrutinii, nisi quod in medio ejus, loco verborum: *Eligo in Summum Pontificem R. num dominum meum D. Cardinalem*, ponuntur haec verba: *Accedo Rev.mo domino meo D. Cardinali*.

Verum facilius, quae dicta sunt, percipientur ex infrascriptis figuris et exemplis.

**Exemplum tergi schedularum
scrutinii et accessus.**



In exteriori autem parte schedularum, tam scrutinii quam accessus, quae tergum nominari potest, duo sunt imprimendi limbi ex illis quos ad ornatum librorum impressores adhibent, et vulgari vocabulo *frigi* nuncupantur; quorum primum circa sui medium continet hoc verbum *Nomen*, impressum secundum longitudinem ipsius limbi: alterum vero continet hoc verbum *Signa*, similiter impressum ut praecedens. Hi autem limbi excogitati sunt ad obscurandum diaphanum paginarum, ne scilicet ad lumen nomina et signa eligentium conspici possint; ubi vero impressoris copia non fuerit, limborum defectus lineis suppleri poterit. Sed haec fient clariora per infrapositam figuram tergi schedularum scrutinii et accessus.

Secundus actus antescrutinii est extractio scrutatorum et deputatorum pro votis infirmorum; quae extractio, antequam ad scrutinium procedatur, sorte facienda est, hoc modo. In uno sacculo aut vase, publice ponantur tot schedulæ, vel, si magis placet, sphaerulae lignæe palam numeratae, quod sunt cardinales praesentes in conclavi, cum eorum nominibus; deinde per ultimum diaconum extrahantur primo scrutatores tres, et postea tres deputati pro votis infirmorum, qui brevitatis gratia infirmarii appellari possunt, de quorum omnium officio inferius suo loco scribetur. Quod si in extractione scrutatorum et infirmariorum, ac etiam recognitorum, de quibus suo loco dicetur, extracti fuerint cardinales, qui ob infirmitatem aliudve impedimentum muneribus praedictis satisfacere non possint, alii non impediti loco illorum extrahantur. Peracta vero extractione, schedulæ seu sphaerulae eorum, qui extracti fuerunt, in saccum seu in vas iterum conjiciantur.

Tertius actus antescrutinii est schedularum scrutinii scriptio, quae fiet hoc modo. Ad duas vel plures parvas mensas quae erunt cum atramento et calamis paratae in loco capellæ apto, ut qui scribunt conspici possint, quid vero scribitur non possit, accident cardinales per ordinem, incipiendo a decano, et ibi sedentes in scabellis paratis, schedulam quisque suam, acceptam prius ex disco, scribet hoc modo: primo in prima parte in spatio inter verba (*Ego Card.*) scribet proprium nomen; deinde in secunda parte nomen illius quem eligit, charaktere tamen, quantum fieri potest, alterato, ut manus scribentis cognosci non possit;

et caveat, ne plures in schedula scribat, quia suffragium juxta Gregorianam Constitutionem esset nullum. In tertia vero parte signa, hoc est numerum aliquem et dictum aliquod Scripturae, seu verbum aut aliquid hujusmodi, ut in exemplis pro facilitiori intelligentia oculis subjecto videri est.

Exemplum schedulae scrutinii scriptae.

	<i>Ego Bonifacius Card. Gaetanus</i>	
○		○
<i>Eligo in Summum Pontificem R. D. meum Card. Baronium.</i>		
○		○
	<i>18. Gloria in excelsis</i>	

	<i>Ego Robertus C. Bellarminus</i>	
○		○
<i>Eligo in Summum Pontificem R. D. meum Card. Baronium.</i>		
○		○
	<i>18. Gloria in excelsis</i>	

Quartus actus antescrutinii est schedularum complicatio, quae, ut expediti peragi a cardinalibus valeat, poterit a caeremoniariis magistris, cum eas praparant, fieri in hunc qui sequitur modum. Binae fient plicatura ex utraque parte cujusque schedulae, ita ut nomen eligentis, et signa, cum fuerint scripta maneant tecta ex utraque parte a limbis; deinde quod reliquum est, ita compunctetur, ut schedula fere ad latitudinem pollicis redigatur, prout ex complicata schedula, quae hic exempli gratia ponitur (p. 103), conspici potest.

Ceterum magistri caeremoniarum schedulas non complicatas, ut supra, s' explicatas, et cum cera rubra in parvis circulis, ponent in discis; et cardinalis postquam eas ut supra scripserint, eo usque solum plicabunt, quo nomen et signum eligentis tegantur, reliquas autem plicaturas tunc facient, cum schedulas, ut infra dicetur, obsignaverint.

Quintus et postremus actus antescrutinii est schedularum obsignatio, quae ab unoquoque cardinali facienda erit in tergo schedularum cum sigillo ad habendato in loco parvorum circulorum, ubi cera fuerit posita. Porro sigillum non debet esse solitum cardinalis, sed aliud et secrete habitum, et ita simplex, ut facile notari possit, veluti, si in sigillo sculpantur aut tres numeri, aut tres litterae vel litterae, numeri, vel una tantum imago. Et haec de antescrutinio sufficiat. Ceterum, quod attinet ad cardinales infirmos, aut aliter impeditos, inferius si loco dicetur.

Sequitur secunda actio, quae nomine scrutinii appellata fuit. Octo sunt hujus actionis actus, videlicet: delatio schedulae, juramenti praestatio, positio

schedulac in calicem, schedularum mixtio, earum numeratio, scrutinii publicatio, schedularum in filum insertio, carumque depositio seorsum.

Delatio schedulae et duo sequentes actus, qui melius simul describuntur ob eorum connexitatem, hoc modo fient. Quilibet cardinalis propriam schedulam, postquam illam scripserit, obsignaverit et complicaverit, duobus primis digiti sumet, ac elevata manu palam deferet ad altare, penes quod stant scrutatores, in quo est calix magnus ad recipiendas schedulas paratus et patena coopertus, ibique genuflectens, aliquantulum orabit: deinde surgens, alta et intelligibili voce, jurabit in hanc formam, quae in tabella super altari posita descripta habetur:

TESTOR CHRISTUM DOMINUM, QUI ME JUDICATURUS EST, ME ELIGERE, QUEM SECUNDUM DEUM JUDICO ELIGI DEBERE, ET QUOD IDEM IN ACCESSU PRAESTABO.

Post haec schedulam in patenam ponet, et per patenam mittet in calicem; quo facto inclinabit se ad altare, et ad suum locum revertetur. Et haec servanda erunt, si cardinalis ad altare pergere possit, nam si ob infirmam valetudinem non possit, et praesens in capella sit, ultimus scrutator discum cum schedulis ad eum deferet, ex quo cardinalis infirmus, unam accipiens, eam in loco suo secrete, ut supra dictum est, conficiet; deinde praevio juramento praedicto, schedulam obsignatam et complicatam eidem scrutatori tradet, qui eam palam deferet ad altare, et, sine oratione et juramento, in patenam ponet, et per eam in calicem mittet; quae omnia observanda erunt per ultimum scrutatorem erga eos cardinales, qui, in capella praesentes, ob valetudinem ad altare pergerè non poterunt. Si vero aliqui cardinales infirmi sint in suis cellis, tres cardinales infirmarii, ut supra extracti, ad eos accedent cum capsula altitudine unius palmi, in cuius superiori parte sit rima, seu foramen ejus, magnitudinis, ut per illud schedula complicata possit per suam latitudinem intus capsulam transmitti; quam capsulam, antequam scrutatores infirmariis tradant, palam aperient, ut ceteri cardinales possint eam inanem et vacuam conspicere; deinde claudent, et clavem ponent super altare: deinde infirmarii, cum capsula clausa, et cum parvo disco, tot schedulas continent, quot sunt infirmi cardinales, ad unumquemque eorum accedunt; et infirmi acceptas ex disco schedulas, secrete sribent, obsignabunt et complicabunt, et, praevio jam dicto juramento, in capsulam per rimam mittent; quod si infirmi scribere non possint, alii eorum arbitrio diligendi, praestito de secreto servando in manibus infirmiorum juramento, praedicta facient; atque hi advertere debent, quod non solum juramenti vinculo tenentur servare secretum, sed etiam in excommunicationem latae sententiae, si contra fecerint, incurrent. His peractis, infirmarii ad capellam revertentur cum capsula, quam scrutatores aperient, et schedulas in ea contentas palam numerabunt, et tot repertas, quot sunt infirmi, ponent singillatim in patenam, et per patenam simul omnes in calicem. Ne autem nimis in longum protrahatur scrutinii actio, infirmarii poterunt proprias schedulas post decanum confidere, et in calicem ponere, deinde, dum ceteri cardinales scrutinium agunt, ad infirmos pergere ad accipienda eorum suffragia, eo modo, quo proxime ante dictum est.

Quartus actus scrutinii est schedularum permixtio, quae fiet per primum scrutatorem, calice, in quo ipsae schedulae positae fuerunt, patena cooperto, pluries agitato.

Quintus actus est numeratio schedularum, quae palam fiet per ultimum scrutatorem, capiendo singillatim unamquamque schedulam ex calice, eamque ponendo in alium, qui ad hoc paratus sit, calicem vacuum. Quod si numerus schedula-

rum non respondeat numero cardinalium, omnes comburendae sunt, et iterum id est secunda vice, ad suffragia statim est deveniendum. Si vero numerus schedularum numero cardinalium respondeat, prosequendi sunt alii actus scrutinii.

Sextus actus est publicatio scrutinii, quae per scrutatores, qui sedent mensam ante altare positam, fiet hoc modo: primus scrutator accipiet unam schedulam, eamque intactis sigillis explicabit, et viso in ea schedula electi nominem tradet secundo scrutatori, qui pariter, eodem electi nomine perspecto, eadem tradet tertio, qui illam alta et intelligibili voce perleget, ut omnes cardinales praesentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habent cum nominibus omnium cardinalium, notabit autem juxta nomen cardinalium ex schedula recitati: idem faciendum erit de ceteris schedulis in calice positi usque ad ultimam. Quod si in scrutinii publicatione inveniantur scrutatores duas schedulas ita complicatas, ut ab uno tantum datas fuisse appareat, si quid unius et idem in utraque electus fuerit, schedulæ praedictæ habebuntur et nobuntur pro uno suffragio; si vero diversi fuerint nominati, neutrum suffragium validum erit, prout in Bulla Gregoriana statuitur de illa schedula, in qua pluri nominati sunt; scrutinium tamen neutrō casu vitiatur. Ceterum suffragia predicta, finita scrutinii publicatione, poterunt a patribus juxta nomina cardinalium qui ea obtinuerunt, in unam summam redigi, vel separato folio notari, hoc modo: Reverendissimus Dominus cardinalis A habet suffragia 20, et Reverendissimus cardinalis B habet suffragia 15, et sic de aliis; quod fit, ne cardinales, cuius opus est, cogantur semper numerare suffragia, quae juxta nomina cardinalium notarunt.

Septimus actus scrutinii est schedularum in filum insertio, quae, ut schedulæ ipsae cautius conservari possint, excogitata fuit. Haec autem insertio fiet per ultimum scrutatorem; inserendo schedulam unamquamque, postquam eam prelegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco ubi est verbum „ELIGATUR“.

Octavus et postremus scrutinii actus est depositio schedularum seorsum quae similiter fiet per ultimum scrutatorem, qui, finita insertione omnium schedularum in filum, capita fili nodo junget, et schedulas omnes ita colligatas alium calicem vacuum vel in mensa seorsum ponet.

Sequitur tertia et postrema actio, quae postscrutinium appellata fuit, cuius actus, si sequuta sit electio per scrutinium, tres tantum sunt, videlicet: numerus schedularum, recognitio suffragiorum, et schedularum combustio; de quibus inferius suis locis dicetur. Si vero per scrutinium non sit sequuta electio, actus sunt septem, videlicet: accessus; sigillorum et signorum aperitio; eorum annatio; suffragiorum examen; suffragiorum scrutinii, vel scrutinii et accessus numeratio; eorum recognitio; et schedularum combustio.

Primus itaque actus est accessus, qui immediate post scrutinium, hoc est post depositas seorsum scrutinii schedulas fiet, nisi forte in scrutinio fuerit creat Papa; tunc enim nullus fieri debet accessus. In quo quidem accessu eadem omnia servanda sunt a cardinalibus, quae dicta sunt servari debere in scrutinio peragendo, tam in schedularum scriptione, obsignatione, complicatione, delatione et positione in calicem, quam in earum numeratione, publicatione, notatione suffragiorum et insertione in filum ac depositione seorsum; exceptis tamen infra scriptis. Primo, quod cardinales schedulas pro accessu sumere debent ex distributione schedularum accessus. Secundo in schedularum accessus scriptione, si cardinalis nemini velit accedere, debet in media schedulæ parte, loco nominis cardinalium

qui scribendus esset si ad eum fieret accessus, scribere NEMINI. Schedula autem accessus scribi et obsignari debet cum eisdem sigillis et signis schedulæ scrutinii, sub poena nullitatis suffragii ipsius accessus. Tertio, quod non potest accessus fieri ad eum cardinalē, qui in scrutinio saltem unum suffragium non obtinuerit, neque ad eum, qui ab ipsomet cardinali fuit in scrutinio nominatus. Quarto, quamvis in accessu non liceat plures nominare, sicut non licet in scrutinio plures eligere, sub poena nullitatis suffragii tam in accessu quam in scrutinio, nihilominus licebit accedere uni ex pluribus nulliter a se nominatis in scrutinio, dummodo ei ab alio aliquod suffragium, non tamen nulliter, ut praefertur, in ipso scrutinio datum fuerit. Quinto, quod in accessu non praestatur jumentum, de quo supra, quia in scrutinio fuit iam praestitum per illa verba: *Et quod idem in accessu praestabo.* Sexto, denique infirmarii deferre debent ad infimos schedulas accessus, et simul etiam unum folium impressum, in quo sit notatus suffragiorum numerus palam recognitus, quae quisque cardinalis in scrutinio nominatus obtinuerit.

Secundus, tertius et quartus actus postscrutinii sunt sigillorum et signorum aperitio, eorum adnotatio, suffragiorum examen, qui tunc solum locum habere possunt, quando sequuta est electio per scrutinium et accessum: fieri autem debent hoc modo.

Primus scrutator schedulas accessuum, quos obtinuit electus, in ea parte solum, quae signa continet, aperiet, et inspectis diligenter earum sigillis et signis, apertas, ac in filo, ut erant, insertas, tradet secundo scrutatori, et secundus, eadem inspectione facta, porriget tertio, qui alta et intelligibili voce, sigilla et signa praedictarum schedularum enunciabit et adnotabit in latere sinistro folii impressi, ad hunc effectum parati, sub verbis *sigilla et signa accessuum*, quam etiam adnotationem facient ceteri cardinales, si voluerint, in simili folio impresso.

Deinde primus scrutator, reliquis scrutatoribus insipientibus, pro accessuum praedictorum examine capiet schedulas scrutinii, et incipiens ab uno capite fili, in quo insertae sunt, sigillum primæ ejus schedulæ quaeret in sigillis accessuum notatis, ut supra in folio impresso, et si illud in eo non invenerit, omissa prima scrutinii schedula, capiet secundam, ejusque sigillum similiter quaeret; quod si etiam non invenerit, capiet tertiam, et deinde sequentes singillatim, donec sigillum alicujus earum inveniat; eoque invento, scrutinii schedulam in ea parte, ubi signa sunt, aperiet, et si non invenerit signa hujus schedulæ concordare cum signis accessus, schedulam illam omittet et aliam capiet, sicut paulo ante de schedulis non concordantibus sigillo dictum est; si vero invenerit signa concordare, ostendet illa secundo et tertio scrutatoribus, qui una cum ipsis, post diligens examen super identitate sigillorum et signorum ambarum schedularum, scrutinii scilicet et accessus, inspiciet, an idem vel diversi in utraque schedula sint nominati; et si idem nominatus sit, suffragium accessus nullum censebitur; si vero diversi nominati sint, suffragium accessus pro valido habebitur; et hoc casu tertius scrutator sigillum et signa schedulæ scrutinii, ac etiam nomen electi qui in ea continetur, alta et intelligibili voce enunciabit, et adnotabit in latere dextero praedicti folii impressi, sub verbis *sigilla et signa scrutinii respondentia accessibus*; notabit autem ea ex adverso accessus concordantes in sigillo et signis; quam adnotationem ceteri quoque cardinales, si voluerint, in simili folio impresso facient.

Sed hujusmodi actus, qui explicatione difficiliores sunt, quam operatio exemplo melius percipientur.

EXEMPLUM

Folii impressi, in quo accessus et scrutinii sigilla ac signa concordantia adnotanti

Sigilla et Signa accessuum. ABC. 43. Deus. BRF. 32. Bonitas. RGI. 50. Beatitudo. NSP. 26. Gloria.	Sigilla et Signa scruti accessibus respondenti BRF. 32. Bonitas. RGI. 50. Beatitudo.	Cardinales nominati in scrutinio. Card. S. Euseb. Card. S. Sixti.
--	---	--

Quod si fortasse in ista inquisitione contingat, duas vel plures schedul scrutinii reperiri cum eisdem sigillis et signis alicujus schedulae accessus, tuis in earum aliqua electus nominatus fuerit, in alia vero alias, primus scrutat reliquis scrutatoribus similiter insipientibus, scrutinii schedulas hujusmodi schedulam accessus in ea etiam parte, in qua est nomen eligentis et accendent aperiet, ut constare possit, secundum Gregorianam Constitutionem, de validitate vel invaliditate accessus; si vero in aliqua hujusmodi schedularum scrutinii co cordantium cum accessu non sit nominatus electus, debent eae schedulae omit et ad subsequens procedendum erit.

Quintus actus postscrutinii est numeratio suffragiorum, vel scrutinii solit vel scrutinii et accessus, quae fiet per scrutatores semper, sive sit electio si non; et si quidem sequuta non sit electio, ut sciatur, quod in eo scrutinio, v scrutinio et accessu, non habetur Papa, si vero sequuta sit, ut constet de can nica Pontificis electione. Fiet autem haec numeratio suffragiorum hoc mode scrutatores in unam summam redigent suffragia, quae quilibet nominatus Pontificem obtinuit, sive in scrutinio solo, sive in scrutinio et accessu simul; si invenerint, nullum ex nominatis ad duas tertias partes suffragiorum pervenisse non habetur Papa in illo scrutinio, sive scrutinio et accessu; si vero inveneri aliquem ex nominatis duas tantum partes suffragiorum obtinuisse, aperient elec schedulam, etiam in parte, in qua est nomen eligentis; et siquidem ex ea app ruerit, electum alii suffragatum fuisse, electio ejus erit canonica; si vero consterit, sibi suffragium dedisse, ejus electio ex dispositione Gregorianae Constit utionis nulla erit, ob defectum unius suffragii. Si denique plures invenerint du tertias partes suffragiorum obtinuisse, vel etiam ultra duas tertias, tunc, in suffragiorum paritate, nullus erit electus; in imparitate vero, ille est canonicus Pap qui superat alium, etiam in uno suffragio.

Sextus actus postscrutinii est recognitio, quae per recognitores, sive sequunt electio sive non, fiet; inspiciendo tam schedulas scrutinii et accessus, qua suffragiorum adnotaciones factas per scrutatores, ut per hujusmodi recognitionem constare possit, an scrutatores sincere et fideliter muneri suo satisfecerint: re cognitores autem extrahentur sorte, ut scrutatores et infirmarii, statim quidem post scrutinium, si sequuta sit in eo electio; si vero non sit sequuta, post scri tinum et accessum, cum scilicet scrutatores suum impleverint munus per num rationem suffragiorum, et haec extractio fiet, sive sequuta sit electio in scrutinii et accessu, sive non.

Septimus et postremus actus postscrutinii est combustio omnium schedula

rum, quae semper et palam per scrutatores fiet, ac statim post recognitionem, sive electio sit sequuta sive non. Et haec omnia, quae de scrutinii ritibus sunt exposita, servanda erunt diligenter a cardinalibus in omnibus scrutinis, sive fiant mane post missam, sive vespere post hymnum *Veni Creator Spiritus*. Atque hi sunt ritus ex praescripto Constitutionis Gregorii Papae XV. in electione Romani Pontificis observandi.

Hucusque caeremoniale.

§ 1. Motu itaque proprio, et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula in praedicto caeremoniali ordinata et quomodolibet contenta, tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus: illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

§. 2. Eaque a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, omnibusque et singulis aliis, ad quos spectat et spectare quomodolibet poterit in futurum, omnino observari praecepimus et mandamus; ac caeremoniale hujusmodi in totum vel in parte mutari vel ei aliquid addi prohibemus.

§. 3. Decernentes sic, et non aliter, per quoscumque ac eosdem S. R. E. cardinales (sublata eis et eorum cuiilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique judicari et definiri debere.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in primo dicta Constitutione voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, adjectionis, praecepti, mandati, prohibitionis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumperit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicae MDCXXII., quarto idus martii, pontificatus nostri anno n.

NOTA. Cum inter praelatos, qui jus in concilio sedendi habent, propter temporum et rerum vicissitudines plurimae per synodi decursum mutationes fiant, satius duximus, omnium medium et praelatorum elenchum in calce hujus operis confidere, quod quidem tum demum fieri poterit, cum synodus absoluta erit.

XVIII.

METHODUS

SERVANDA IN PRIMA SESSIONE SACRI CONCILII OECUMENICI,

QUOD IN PATRIARCHALI BASILICA S. PETRI IN VATICANO

CELEBRABITUR.

1. Clerus universus Urbis per scalam regiam, porticum et basilicam ordine statuto disponetur.

2. Eminentissimi Cardinales et Reverendissimi Patres ad Palatium Vaticanum accedent per scalam sitam in atrio maximo ejusdem Palatii, quae dicit ad Bibliothecam et Museum.

3. In aulis designatis quisque vestes sacras sibi proprias induet. Eminentissimi Cardinales sacra paramenta assument in altera aula paramentorum, scilicet in ea, in qua solet aliquando Summus Pontifex sacris vestibus indui. Reverendissimi Patriarchae in aula anteriori sacra item paramenta assument, et in hac ipsa aula Auditores Rotae, Clerici Cameræ, Votantes signaturæ et Abbreviatores superpelliceo se vestient. Reverendissimi Primates, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates pluviale induent in ambulacro Juliano, quod Museo Vaticano adhaeret prope aulas supra enunciatas.

4. Capellam supra porticum basilicae *statim*, Eminentissimi Cardinales cum caudatorio tantum, Reverendissimi Patres nemine comitante ingredientur, et facta brevi oratione, locum ab assignatoribus designatum occupabunt.

5. Praelati et alii Officiales, vestibus respective sibi debitIs induiti, nemine pariter comitante, capellam praefatam ingredientur et in locis assignatis consistent.

6. Duo Eminentissimi Cardinales Diaconi seniores, Eminentissimus Cardinalis Prior Presbyterorum, duo Protonotarii de numero participantium, et Votantes signaturæ pro paramentis Papae deferendis in sacellum Paulinum convenient, quod pro sacrario inserviet.

7. Subdiaconus Apostolicus pro Cruce Papali deferenda, et alii duo signaturæ Votantes pro candelabris aderunt in praedicto sacello Paulino. Aderunt quoque duo Reverendissimi Episcopi pro libro et candela.

8. Summus Pontifex ad praefatum sacellum Paulinum accedet, sacris vestibus ornabitur, nempe amictu, alba, cingulo et stola, et incensum in thuribulo ponet, ministrante naviculam Cardináli Presbytero assistente. Tum induet pluviale, formale et mitram pretiosam.

9. Summus Pontifex capellam supra porticum basilicae ingredietur, et transeundo benedicet Patribus.

10. Ante faldistorium mitram deponet, genua flectet et parumper orabit. Tum, adhuc genuflexus, ex libro a Cardinali Presbytero assistente sibi oblato, praecinet hymnum *Veni creator Spiritus*, quem Cantores prosequentur, omnibus interim genua flectentibus.

11. Post primum versum omnes surgent, et Summus Pontifex, resumpta mitra, sedebit in sede gestatoria.

12. Ordinabitur processio:

Camerarii extra num. duo.

Capellani secreti de numero participantium num. duo.

Advocati consistoriales, Promotores Concilii, num. duo.

Cubicularii honoris ecclesiastici n. duo.

Cubicularii secreti ecclesiastici n. duo.

Cantores omnes.

Abbreviatores de parco majori, Scrutatores suffragiorum, num. duo.

Votantes signaturae omnes, inter quos duo Scrutatores suffragiorum.

Clerici Camerae Apostolicae, Scrutatores suffragiorum, num. duo.

Auditores Rotae, Scrutatores suffragiorum, num. duo.

Magister sacri Hospitii.

Capellanus cum regno usuali Summi Pontificis.

Capellanus secretus cum mitra simplici usuali Summi Pontificis.

Thuriferarius signaturae votans cum thuribulo.

Subdiaconus Apostolicus sacris vestibus indutus deferens Crucem Papalem inter duos acolythos signaturae votantes cum candelabris.

Abbes generales parati.

Abbes nullius dioecesis parati.

Episcopi

Archiepiscopi

Primates

Patriarchae parati.

} parati, juxta ordinem suae promotionis incedentes.

Cardinales

} Diaconi.

Presbyteri.

Episcopi.

Reverendissimi Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae unum sacerdotem seu capellanum veste talari indutum, itemque Eminentissimi Cardinales unum sacerdotem, ac insuper caudarium in processione habebunt. Eminentissimus Cardinalis Prior Presbyterorum pluviali indutus incedet in processione ultimo loco inter Cardinales presbyteros. Prope januam capellae quisque mitram sibi imponet.

Senator et conservatores urbis et alii duces de custodia Pontificis nuncupati.

Vicecamerarius cappa indutus a dextris Principis solii custodis Concilii.

Duo protonotarii de numero participantium notarii Concilii pro veste Papae Cardinalis Diaconus evangeliū in actione synodali cantaturus medi inter duos Cardinales Diaconos assistentes.

Duo caeremoniarum magistri assistentes Papae.

Summus Pontifex sede delatus sub baldachino, cuius hastae deferent a signaturae referendarii.

Duo cubicularii secreti supranumerarii deferentes flabella.

Decanus Rotae minister de mitra inter duos secretos cubiculari ecclesiasticos de numero participantium.

Servientes armorum, mazzerii nuncupati, a lateribus Summi Pontificis incidentes.

Cantores octo praedictum hymnum concinantes.

Auditor et thesaurarius Camere apostolicae cum praesule domini pontificiae praeposito cum cappis.

Reliqui quatuor protonotarii de numero participantium, inter quos subsecretarius Concilii una cum praefecto cubiculi cum cappis.

Generales et Vicarii generales Congregationum regularium.

Generales et Vicarii generales Ordinum seu Congregationum monasticarum mitrae usum non habentium.

Generales et Vicarii generales Ordinum mendicantium.

Omnes cum habitu sui instituti, et qui clerici regulares sunt biretum prae manibus tantum gestabunt.

Officiales Concilii, nempe duo adjutores secretario et duo adjutores notariis, qui, si inter Summi Pontificis cubiculares erunt adscripti, veste violaceam cum simili veste superiori assument. Si vero clero tantum saeculari erunt addicti, vestem talarem induent.

Ultimo loco post officiales incident stenographi, veste talari induti.

13. Quisque basilicam ingressus statim caput detegit, et cum propria altare papale pervenerit, facta utroque genu reverentia Ss. sacramenta super eodem altari papali exposito, aulam ingredietur, et facta cruci altar inclinatione, locum sibi convenientem ab assignatoribus indictum occupabit: et omnes stantes ac detecto capite Summi Pontificis adventum praestolabuntur.

14. Capellani vero Reverendissimorum Patrum, facta cum ipsis genua flexione, immediate pergent ad sacellum Ss. Simonis et Judae.

15. Interim Eminentissimus Cardinalis Decanus celebraturus missam et reliqui ministri, nempe presbyter assistens, diaconus, et subdiaconus comitate caeremoniarum magistro, quinque acolythi ceroferarii et tres clerici capellae ad altare intra aulam accendent et Summi Pontificis adventum exspectabunt.

16. Eminentissimi Cardinales /scamna ante altare papale parata occipabunt.

17. Duo Episcopi pro libro et candela prope faldistorium ante altare praedictum.

18. Summus Pontifex in ingressu basilicae e sede descendet, mitram deponet, accedet ad altare papale et super faldistorium procumbet.
19. Cantores postremum hymni versum concinent.
20. Interim Generales et Vicarii generales supradicti, facta genuflexione ut supra, per januam lateralem prope sacellum Gregorianum B. M. V. aulam ingredientur et petent loca assignata.
21. Post cantum ultimi versus Summus Pontifex recitat versiculos et orationes.
22. Completis orationibus, Eminentissimi Cardinales, repetita genuflexione ut supra, aulam ingredientur cum caudatario tantum, et facta ante altare reverentia cruci, ad propria subsellia pergent.
23. Summus Pontifex, repetita genuflexione et resumpta mitra, aulam ingredietur, benedicet Patribus et deposita mitra orabit ante altare.
24. Surget et cum Cardinali decano celebraturo missam incipiet, quae ritu consueto celebrabitur.
25. In missa non exhibebitur obedientia, non fiet sermo post Evangelium, neque Eminentissimi Cardinales ad circulum descendent.
26. Expleta missa et recitata oratione *Placeat*, etc., Cardinalis celebrans ad faldistorium revertetur.
27. Clerici capellae super altare locabunt thronum pro reponendo codice S. Evangelii.
28. Episcopus Concilii Secretarius de loco suo descendet, et facta Summo Pontifici reverentia, ad credentiam accedet. Tum omnibus surgentibus, idem Episcopus Secretarius nemini reverentiam faciens, detecto capite deferet ad altare codicem S. Evangelii et super paratum thronum locabit.
29. Locato super altare codice S. Evangelii, Episcopus Secretarius locum suum petet.
30. Episcopus Concionator pluviali indutus et mitram manibus gestans ad solium accedet, et facta prius profunda reverentia ante gradus solii ejusdem, ad Summum Pontificem accedet, cui inclinatus osculabitur ejus genu dexterum et indulgentias postulabit.
31. Dum Episcopus Concionator ad solium accedet, per subsacristam super altare paramenta pro Summo Pontifice prius disposita ordinabuntur.
32. Habebitur sermo per Episcopum mitratum.
33. Completo sermone, subdiaconus apostolicus crucem papalem ante gradus solii deferet.
34. Summus Pontifex, deposita mitra, surget et benedictionem dabit: *Sit nomen Domini*, etc.
35. Eminentissimi Cardinales et Reverendissimi Patres detecto capite stabant ad benedictionem, Abbates et reliqui omnes genua flectent.
36. Episcopus, qui sermonem habuit, indulgentiam publicabit, tum descendet de ambone et locum sibi assignatum ooccupabit.
37. Cardinalis celebrans surget, accedet ad altare, signabit librum et Conc. Vatio.

seipsum, ac recitans Evangelium S. Ioannis revertetur cum suis minist ad sacrarium, sacras vestes deponet, et pluviali induitus ad aulam redit inter alios Eminentissimos Cardinales.

38. Duo Episcopi cum libro et candela accedent ad Summum Pontifice qui psalmum *Quam dilecta*, etc., recitabit.

39. Subdiaconus apostolicus deferet sandalia et caligas ad solium, cmitatus a duobus signaturae votantibus.

40. Summus Pontifex caligas et sandalia induet.

41. Sacrista ad altare pro diribendis sacris vestibus Papae.

42. Votantes ad altare pro deferendis sacris vestibus praedictis.

43. Cardinalis Diaconus cantaturus Evangelium ad solium.

44. Cardinalis prior presbyterorum pluviali induitus solium condescend et annulum Summo Pontifici detrahet.

45. Votantes paramenta deferent ad solium.

46. Cardinalis Diaconus praedictus, detractis prius mitra, formali, plviali, stola et cingulo, induet Summum Pontificem omnibus missalib paramentis, videlicet subcinctorio, Cruce pectorali, fanone, stola, tunice dalmatica, chirothecis et planeta, adjuvantibus quoque Cardinalibus diacon assistentibus.

47. Subdiaconus apostolicus ad altare pro S. Pallio, quod deferet solium. Comitabitur ab altero ex signaturae votantibus cum spinulis.

48. Cardinalis Diaconus praefatus sacram Pallium imponet Summ Pontifici.

49. Idem Cardinalis mitram reponet Summo Pontifici et ad suum locu redibit.

50. Cardinalis presbyter assistens annulum imponet Summo Pontifici et ad subsellium suum revertetur.

51. Praestabitur obedientia ab Eminentissimis Cardinalibus, qui manu Summi Pontificis osculabuntur, a Reverendissimis Patriarchis, Primitib Archiepiscopis et Episcopis, qui facta prius profunda inclinatione an gradus solii, genu dexterum Summi Pontificis stantes osculabuntur; Abbat vero praemissa genuflexione antequam solium condescendant, genuflexi pede dexterum Summi Pontificis osculabuntur.

52. Episcopus Secretarius, praestita obedientia, locum sibi inter Officiales assignatum occupabit.

53. Completa obedientia, a Clericis Capellae parabitur faldistorium piano solii.

54. Cardinalis primus Diaconus assistens alta voce dicet: *Orate.*

55. Summus Pontifex, deposita mitra, procumbet super faldistorium reliqui omnes in propriis locis genua flectent.

56. Interim praesto erunt duo Episcopi cum libro et candela.

57. Post breve temporis spatium surget tantum Summus Pontifex et leget in tono feriali alta voce orationem: *Adsumus, Domine, etc.*, in cuj fine omnes respondebunt: *Amen.*

58. Cardinalis secundus Diaconus assistens primus omnium surget et dicet alta voce: *Erigite vos.*
59. Omnes surgent et stabunt.
60. Cantores cantabunt antiphonam: *Exaudi nos, Domine, etc.*
61. Cardinalis primus Diaconus iterum dicet alta voce: *Orate.*
62. Omnes iterum genua flectent et aliquantulum orabunt.
63. Cardinalis secundus Diaconus omnium primus assurget et dicet alta voce: *Erigite vos.*
64. Omnes surgent et stabunt, ut prius.
65. Summus Pontifex canet in tono feriali orationem: *Mentes nostras, etc.*
66. Completa oratione, omnes iterum procumbent sine mitra, excepto Summo Pontifice, qui mitra simplici utetur.
67. Duo cantores genuflexi in presbyterio litanias cantabunt.
68. Summus Pontifex, ubi notatum est, surget solus et manu sinistra tenens Crucem loco baculi pastoralis ter benedicet Synodo dicens: *Ut hanc sanctam Synodum, etc.*
69. Perficiuntur Litaniae.
70. Surgent omnes et stabunt.
71. Summus Pontifex dicet: *Oremus.*
72. Cardinalis primus Diaconus: *Flectamus genua, et omnes genuflectent praeter Summum Pontificem.*
73. Cardinalis secundus Diaconus dicet: *Levate, et omnes surgent.*
74. Summus Pontifex recitabit in tono feriali orationem: *Da quae-sumus, qua completa, resumet mitram, ad sedem redibit et in ea sedebit.*
75. Cardinales et Patres sedebunt et mitra se operient.
76. Cardinalis Diaconus Evangelium cantaturus et Subdiaconus apostolicus accedunt ad credentiam et manipulum assument.
77. Idem Cardinalis Diaconus accipiet librum Evangeliorum, quem ritu consueto deferet et ponet super altare.
78. Accedet ad solium et osculabitur manum Summi Pontificis.
79. Acolythi Signaturae votantes cum candelabris et Subdiaconus Apostolicus ante altare.
80. Cardinalis presbyter assistens ad solium redibit.
81. Papa, ministrante eodem Cardinale presbytero, ponet incensum in thuribulum cum benedictione.
82. Cardinalis Diaconus ante altare genuflexus recitabit orationem: *Munda cor meum, etc., et accepto libro de altari, se adjunget Subdiacono et Acolythis.*
83. Cardinalis Diaconus, Subdiaconus apostolicus, Acolythi et Thuriferarius ad solium pro benedictione.
84. Accepta ut supra, benedictione, cantabitur Evangelium.
85. Ad cantum Evangelii omnes surgent capite detecto, deposito etiam pileolo.

86. Cantato Evangelio, Summus Pontifex osculabitur librum a Diacono porrectum et incensabitur a Cardinali Presbytero assistente, q post thurificationem ad suum subsellium revertetur.

87. Cardinalis Diaconus et Subdiaconus apostolicus deponent m pulum et ad loca sua regredientur.

88. Acolythi et thuriferarius candelabra et thuribulum deponent.

89. Sedebunt omnes cum mitris et Summus Pontifex Patres all quetur.

90. Reponetur per clericos Capellae faldistorium in plano solii.

91. Cardinalis presbyter ad assistantiam in solio redibit.

92. Summus Pontifex, deposita mitra, accedet ad faldistorium.

93. Duo Episcopi cum libro et candela.

94. Summus Pontifex ex libro sibi oblato a Cardinali presbytero & tistente praecinet hymnum: *Veni, Crèator Spiritus*, et procumbet super faldistorio.

95. Reliqui omnes in suis locis genua flectent et nudato capite.

96. Cantores prosequentur hymnum.

97. Finito primo versu, Summus Pontifex surget et stabit in sede si

98. Reliqui omnes surgent et stabunt in suis locis.

99. Removebitur faldistorium e plano solii.

100. Duo Episcopi cum libro et candela.

101. Summus Pontifex, expleto hymno, cantabit versiculum et orationem ex libro, quem Cardinalis presbyter sustinebit.

102. Duo cantores cantabunt: v *Benedicamus Domino*, et respons *Deo gratias*, discedent cantores omnes ex aula et remanebunt in sace. Gregoriano B. Mariae V.

103. Summus Pontifex sedebit et resumet mitram.

104. Reliqui omnes sedebunt cum mitris.

105. Per Praefectum caeremoniarum dimittentur qui locum non habet in Concilio, nempe:

Magister sacri Hospitii;

Reliqui Praelati, qui non sunt officiales, exceptis Subdiacono apostoli et Decano S. Ròtae,

Cubicularii omnes secreti et honoris, duobus tantum de numero participantium exceptis, qui inservient Summo Pontifici;

Capellani secreti et communes;

Camerarii extra;

Acolythi et Clerici capellae;

Ostiarii de virga rubea;

Caudatarii.

106. Dimissis itaque qui nequeunt interesse actionibus sequentibus claudetur ab extra ostium aulae ab ostiariis.

107. Ad aulac conciliaris januam majorem et ad alias minores vigil bunt ab extra Ostiarii, et ab eis custodientur.

108. In sacello B. M. V. et in altero S. Petronillae, januis internis clausis, morabuntur qui locum non habent in Concilio.

109. Episcopus Secretarius una cum alio Episcopo, qui decreta lecturus erit, accedet ad Summum Pontificem et servabit methodum, quae pro Episcopo Concionatore tradita est.

110. Summus Pontifex tradet decreta in prima sessione promulganda, vel ipsi Secretario, vel alteri Episcopo, qui leget decreta.

111. Secretarius vel alter Episcopus ascendet ambonem, quo consenso versus Summum Pontificem profundam reverentiam faciet: tum detecto capite leget titulum decretorum, nempe: „Pius Episcopus, servus servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam.“ Tum se cooperiet mitra, sedebit et leget decreta in prima sessione approbanda.

112. Lectis decretis, stans detecto capite interrogabit formula statuta Cardinales et Patres, an placeant decreta modo lecta?

113. Secretarius, vel alter Episcopus, qui legit decreta, descendet de ambone et ad locum suum revertetur.

114. Scrutatores cum notariis accedunt ad medium presbyterii et facta Summo Pontifici genuflexione accedunt ad Cardinales et Patres et recipient eorum suffragia.

115. Procedent, comitante altero ex caceremoniarum magistris, scrutatores suffragiorum bini et bini, quibuscum notarii Concilii ita jungentur, ut duo scrutatores unum ex Concilii notariis adjunctum habeant. Hi vero munus colligendi Patrum suffragia ita obeunt, ut per quatuor principales aulae Concilii partes distributi, terni simul (duo nempe scrutatores et unus Concilii notarius) accedant ad partem aulae sibi pro hac re assignatam, ibique singillatim Eminentissimorum Cardinalium itemque Patriarcharum suffragia exquirant juxta ordinem sedendi; Primum vero, Archiepiscoporum, Episcoporum aliorumque Concilii Patrum singulorum suffragia rogabunt pariter juxta ordinem sedendi, stantes in plano aulae Concilii; singulorum autem suffragia accurate describent.

116. Cardinales et Patres suffragium proferent elata voce per verbum *Placet*, aut *Non placet*, sedentes cum mitris. Abbates et alii, quibus ex privilegio datur suffragium proferre, assurgent detecto capite et facta versus Summum Pontificem genuflexione, verbum *Placet*, vel *Non placet* pronunciabunt.

117. Cum in una ex praedictis aulae partibus suffragia omnia collecta fuerint, duo isti scrutatores cum notario, qui suffragia in ea parte collegebunt, accedent ad tabulam secretarii in medio positam, ibi suffragia collecta computabuntur, et referetur in Acta, utrum omnibus, qui suffragia dederunt, Decretum placuerit, an sint nonnulli, quibus nonnisi cum aliqua mutatione aut conditione placeat, vel omnino non placeat.

118. In digerendis atque numerandis Patrum suffragiis per scrutatores collectis, Secretarius praesto erit, ut juxta formulam antea pro diverso eventu deliberatam, ea, quae ex computatione omnium suffragiorum provenient, scripto consignet.

119. Tum Scrutatores cum Secretario ad solium accedentes suffragi rum summam rite consignatam Summo Pontifici subministrabunt, ut p supremam ejus auctoritatem accedat confirmatio et habeatur promulgati

120. Summus Pontifex alta voce decreta confirmabit praescripta pronuntians solemnem formulam, nempe „Decreta modo lecta placueru Patribus, nemine dissentiente (*vel, si qui forte dissenserint: tot nume exceptis*); Nosque sacro approbante Concilio illa ita decernimus, statuim atque sancimus ut lecta sunt.“

121. Secretarius, ritu superius notato, iterum ad Summum Pontifice accedet et recipiet ab eo decretum inductionis futurae sessionis.

122. Secretarius ambonem concendet et ritu prius praescripto futura sessionem intimabit, descendet de ambone et sedem suam petet.

123. Protonotarii accendent ante ultimum gradum solii a sinistro lateri

124. Promotores pariter ad solium accedent et in medio infimi grad genuflexi rogabunt Protonotarios, ut de omnibus, quae acta sunt in h sessione, unum aut plura instrumenta confiant.

125. Protonotarius senior respondebit: *Conficiemus vobis testibus*, innue Praepositum domui pontificiae et Praefectum cubiculi, qui pro hoc ac prope dexterum solii latus consistent.

126. Aperietur ostium aulae conciliaris, et qui prius discesserunt locu sibi debitum occupabunt.

127. Duo Episcopi pro libro et candela ad solium.

128. Cardinalis Presbyter assistens iterum ad solium.

129. Summus Pontifex, deposita mitra, surget, et ex libro, quem Ca dinialis presbyter assistens tenebit, praecinet hymnum: *Te Deum laudami* qui prosequetur a choro cantorum alternatim cum clero.

130. Circa finem hymni accendent ante gradus solii duo acolythi sign turae votantes cum candelabris.

131. Duo Episcopi pro libro et candela.

132. Completo cantu hymni praefati Summus Pontifex cantabit *D minus vobiscum* et orationem praescriptam ex libro a Cardinali presbyter oblatu.

133. Post orationem Cardinalis Diaconus, qui Evangelium cantav accedet iterum ad solium cum Subdiacono apostolico.

134. Acolythi signaturae votantes revertentur ad solium pro recipiend paramentis, quibus se exuet Summus Pontifex.

135. Sacrista redibit ad altare, ut sacra Pontificis paramenta recipiat.

136. Cardinalis Diaconus detrahet sacrum pallium Summo Pontifici quod tradet Subdiacono apostolico.

137. Subdiaconus apostolicus ad altare cum S. pallio una cum acolyt signaturae votante, qui spinulas referet.

138. Cardinalis Diaconus reliquis paramentis ordinatis exuet Summu Pontificem, quae tradet acolythis.

139. Acolythi signaturae votantes referent sacra paramenta ad altare, quae tradent Sacristae.
 140. Summus Pontifex induet mozzettam et stolam.
 141. Subdiaconus apostolicus cum duobus signaturae votantibus iterum ad solium pro recipiendis sandaliis et caligis, quae Summus Pontifex deponet.
 142. Subdiaconus apostolicus caligas et sandalia ad credentiam reportabit.
 143. Summus Pontifex, postquam calceos ordinarios resumpserit faldam deponet.
 144. Reponetur faldistorium ante altare per clericos Capellae.
 145. Summus Pontifex, praecedente Cruce a Capellano secreto delata, descendet de solio, accedet ad faldistorium et genuflexus parumper orabit.
 146. Surget et, facta Crucis altaris reverentia, benedicet Patribus et ad suas aedes remeabit.
 147. Eminentissimi Cardinales extra aulam pro lubitu sacra paramenta deponent.
 148. Reverendissimi Patres discedent de aula et in proximis sacellis opportune dispositis sacras vestes deponent et resumptis vestibus ordinariis discedent.
-

XX.

ORDO

EX CAEREMONIALI PRAESERTIM S. R. E. EXCERPTUS

CONCILII OECUMENICI

CELEBRANDI IN SACROSANCTA BASILICA VATICANA

JUSSU SS. DOMINI NOSTRI PII IX.

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPI.

*Die octava decembris festo Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis
mane hora indicenda Em*m*ti et Rev*m*i domini Cardinales, ac Rev*m*i domini Patriarchae,
Primates, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates locum in Concilio habentes
convenient in aulas designatas, et assumptis sacris vestibus cuique Ordini propriis
albi coloris, et mitris, statim accedent ad sacellum paratum supra porticum Basili-
cae Vaticanae, Summi Pontificis adventum praestolantes.*

*Solemnis Actio devota supplicatione inchoabitur a commemorato sacello usque
ad eandem basilicam, utroque Clero tam saeculari quam regulari stante hinc ina-
disposito. Summus Pontifex pluviali induitus, deposita mitra, flexis genibus int-
nabit, schola Cantorum prosequente:*

HYMNUM.

Veni, Creator Spiritus etc.

*Absoluto primo versu, Pontifex ceterique surgent, et ordinabitur supplicatio
praecedentibus more consueto ante Crucem pontificalem familiaribus, Capellani
cantoribus, et Praelatis Papae cum superpelliceo supra rochettum, eo numero, quod
erit praescriptus, nec non Thuriferarius. Post Crucem a Subdiacono apostolic
delatam medio inter duos Acolythos incident Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, Pr-
imates, Patriarchae (omnes qui sunt latini ritus cum mitra simplici ex lino), Cardi-
nales (cum mitris serico-damascenis), Senator cum Conservatoribus Urbis, vice-Ce-
merarius S. R. E. cum cappa a dextris Principis Solii pontifici, Summus Pontifice
mitra pretiosa ornatus, et sella gestatoria sub baldachino delatus cum flabellis,
solito comitatu, nec non octo ex Capellanis cantoribus suavi concentu hymnum prae-
fatum canentes.*

*Sequentur cum cappis Auditor et Thesaurarius R. C. A., Antistes pontificis
domini praepositus, Protonotarii apostolici e collegio participantium, Generales ta-
Congregationum, quam Ordinum regularium, et Officiales Concilii.*

Interim, cum opus fuerit, hymnus repetatur, omisso primo versu et conclusioni-

quae tantum canetur, cum Summus Pontifex ad altare princeps, ubi sanctissimum Sacramentum expositum erit, pervenerit ibique, capite detecto, fuerit genuflexus.

Completo hymno, Pontifex adhuc genuflexus dicet:

- ℣. Protector noster aspice, Deus.
- ℟. Et respice in faciem Christi tui.
- ℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
- ℟. Et renovabis faciem terrae.
- ℣. Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto.
- ℟. Et de Sion tuere nos.
- ℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix Immaculata.
- ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
- ℣. Domine, exaudi orationem meam.
- ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Surget :

- ℣. Dominus vobiscum.
- ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuac precibus, auctor ipse pietatis, et praesta: ut, intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Dominum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

Pontifex genuflectet, et duo cantores dicent:

- ℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.
- ℟. Et custodiat nos semper. Amen.

Deinde procedetur ad aulam paralam pro Concilio celebrando, et omnibus Patribus, servato inter eos ordine dignitatis patriarchalis, primatialis, archiepiscopalis, et episcopalis, atque habita temporis ratione cuiusque promotionis, in proprio sub sellio dispositis, Sanctitas sua faciet confessionem cum Emmo et Revmo D. Cardi-

nali S. Collegii Decano Missam cantaturo de B. Mariae Virginis Conceptione I maculata, cui addetur oratio de Spiritu Sancto.

In solemni Sacro, obedientia Sanctissimo Patri praestanda, sermone post Evangelium circulisque omissis, omnia more solito peragentur; sed dicta in fine Missa a Cardinali celebrante oratione Placeat, accedit ad Thronum pontificalem Episcopum. Orator mitram manu gestans, et osculato genu dextero Summi Pontificis, petet eo indulgentiam, ascendet suggestum, et alloquetur Patres. Absoluta oratione, pulcabit indulgentiam. Deinde Sanctitas Sua, deposita mitra, coram Cruce surgat et dicet:

x. Sit nomen Domini benedictum.

r. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

x. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

r. Qui fecit caelum et terram.

x. Benedicat vos omnipotens Deus. Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.

r. Amen.

Emmus et Revmus D. Cardinalis celebrans cum suis ministris discedet recitat Evangelium S. Joannis, et interim Summus Pontifex sedebit, et ei imponetur mitra. Deinde accedit ad Pontificem Subdiaconus apostolicus paratus tunica albi coloris deferens caligas, et sandalia, quae ipsi Pontifici more solito imponentur, dum dicit psalmum: Quam dilecta, etc.

Postea recedet Subdiaconus, et accedit Emmus ac Revmus D. Cardinalis. Diaconus amictu, alba stola, et dalmatica induitus, quia est Evangelium cantaturus, non Acolythi, unus post alium, deferentes singuli sacra indumenta, ac si Pater esset Missam solemni pontificali ritu celebraturus. Cum autem Pontifex, deposuit mitram et pluviali, pontificales vestes, Cardinali Diacono ministrante, assumpserunt omnes qui sacris paramentis sunt induiti, mitram manibus gestantes Summo Pontifici obedientiam praestabunt; Cardinales manum, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi genu dexterum, Abbates pedem osculantes.

Hae actione finita Cardinalis Diaconus a dextris Pontifici assistens surget, alta voce dicet: Orate, et mox tam Pontifex super faldistorium sibi paratum, quam alii, sine mitra, in proprio loco genuflexi orabunt versi ad Altare. Surgens deinde Pontifex solus, ceteris genibus innixis permanentibus, dicet hanc orationem in terminis competenti, videlicet:

Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus quidem peccati immitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati. Veni ad nos, et em nobiscum, et dignare illabi cordibus nostris. Doce nos, quid agamus, quod gradiamur, et ostende, quid efficere debeamus, ut te auxiliante, tibi complacere in omnibus valeamus. Esto salus, et effector judiciorum nostrorum qui solus cum Deo Patre et ejus Filio nomen possides gloriosum. Non patiaris perturbatores esse justitiae, qui summam diligis aequitatem; non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muri vel personae corrumpat; sed junge nos efficaciter tibi solius gratiae dono, ut simus in te unum, et in nullo aberremus a vero, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis.

justitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur praemia sempiterna.

Omnes respondent: Amen.

Postea Cardinalis Diaconus a sinistris surgens versus ad Patres dicet: Erigit vos; omnes surgent, et Cantores cantabunt antiphonam:

Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.

Iterum Diaconus a dextris conversus ad Patres dicet: Orate; et similiter omnes procumbent, et aliquantulum orabunt secreto, donec Diaconus a sinistris dicat: Erigit vos; et omnes surgent. Pontifex vero, omnibus stantibus, et detecto capite, orationem dicet absolute:

Mentes nostras, quaesumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

Rv. Amen.

Qua finita rursum omnes genuflectent, et duo Cantores incipient Litanias, omnibus respondentibus.

Cum dictum erit: ut Dominum Apostolicum etc., surgens Pontifex cum mitra, et manu sinistra tenens Crucem loco baculi pastoralis benedic Synodo dicens:

Ut hanc sanctam Synodum et omnes gradus ecclesiasticos
bene † dicere digneris, te rog.

Ut hanc sanctam Synodum et omnes gradus ecclesiasticos
bene † dicere, et rege † re digneris, te rog.

Ut hanc sanctam Synodum et omnes gradus ecclesiasticos
bene † dicere, rege † re, et conser † vare digneris, te rog.

Procumbente iterum Pontifice, Litaniae absolventur.

Deinde surgent omnes, et Pontifex versus ad Altare dicet:

OREMUS.

Diaconus a dextris dicet: Flectamus genua, et Diaconus a sinistris: Levate.

Da, quaesumus, Ecclesiae tuae, misericors Deus: ut, Sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Tum sument manipulum Subdiaconus apostolicus et Cardinalis Diaconus, qui Evangelium rei de qua agitur competens cantabit. Ipse osculabitur manum Pontificis, qui mox ponet incensum, ministrante naviculam Cardinali Presbytero induito

cum pluviali. Interim Diaconus, accepto ex Altari libro, una cum Subdiaconi luminaribus et caeremoniis consuetis, petet a Pontifice benedictionem, et cantab Evangelium: quo finito Pontifex osculabitur librum et incensabitur more solito.

Deinde cum mitris omnes sedebunt, et Pontifex congruis verbis hortabitur Patres ad opportuna facienda decreta, et postea surgens sine mitra, et procumber super faldistorium intonabit hymnum Veni, Creator Spiritus, omnibus eo tempore nudo capite genua flectentibus, quousque primus versus perficiatur. Deinde omnes surgent stantes sine mitra, et Cantores prosequentur hymnum. In fine Pontifex surget dicens:

- v. Emite Spiritum tuum, et creabuntur.
- r. Et renovabis faciem terrae.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritu Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

r. Amen.

Duo Cantores dicent:

- v. Benedicamus Domino.
- r. Deo gratias.

Caeremoniarum Praefectus alta voce dicet: Exeant omnes locum non habentes in Concilio. Tunc jussu SS^{mi} Patris e suggestu alta voce recitabuntur decreti et dein rogabuntur Patres an ea placeant; ac statim procedent scrutatores ad suffragia excipienda, quae pronunciari debebunt a Patribus per verba PLACENT et NON PLACENT, ita tamen ut Emmi ac Rev^{mi} Cardinales, nec non Rev^{mi} Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi, servato inter eos ordine dignitate et cuiusque promotionis, suffragium proferant sedentes cum mitris; Abbates vero, Generales Congregationum et Ordinum regularium stantes, capite detecto, et missa Summo Pontifici genuflexione. Scrutatores autem, collectis suffragiis, penitus Solium pontificium iis accurate dirimendis ac enumerandis operam dabunt, ac ipsiis ad Summum Pontificem referent, qui supremam suam sententiam edicet, eamque promulgare mandabit, hac adhibita solemni formula: „Decreta modo lectione placuerunt omnibus Patribus, nemine dissentiente (vel si qui forte dissenserint tot numero exceptis, Nosque sacro approbante Concilio illa ita decernimus, statuimus, atque saltemus ut lecta sunt.“

Hisce autem omnibus expletis erit Promotorum Concilii rogare Protonotarios apostolicos praesentes, ut de omnibus et singulis in Sessione peractis unum vel plurimum instrumentum vel instrumenta conficiantur, adhibitis testibus rogatis.

Denique, die alterius Sessionis de mandato Summi Pontificis indicta, ipse Pontifex intonabit sine mitra hymnum Te Deum laudamus.

Quem Cantores alternatim cum Clero prosequentur. Hymno finito Pontifex adhuc stans dicet:

x. Dominus vobiscum.

r. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui potentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum.

r. Amen.

Deinde Pontifex, adjuvante Cardinale Diacono, qui Evangelium cantavit, exuet sacra paramenta, quae super altare deponentur, atque assumet mozzettam cum stola, et facta brevi oratione super faldistorium, surget, benedic Synodo et discedet.

Mox omnes Patres in locis paratis deponent sacras vestes, et similiter discedent.

In ceteris subsequentibus Sessionibus haec omnia serventur praeter ea quae adnotantur:

1. Non habebitur supplicatio, et ideo omnes Cardinales et Patres hora pro qualibet vice indicenda se conferent ad basilicam S. Petri, et unusquisque adorato SS. Sacramento in loco designato, ita Summo Pontifice disponente, assumet sacra paramenta coloris rubri, nisi aliter notetur, et conveniet in aulam Concilii, et facta flexis genibus brevi oratione ante Crucem, petet proprium subsellium.

2. Missa celebrabitur lecta sine cantu de Spiritu Sancto, juxta tamen rubricas, neque erit oratio ad Patres, neque obedientia praestabitur Summo Pontifici.

*Aloysius Ferrari,
Protonot. Apostolic. Caerem. Praefectus.*

XXI.

INTIMATIO

per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari.

Feria V. die 2. decembris anni 1869., hora decima antemeridiana i Sacello Sixtino Palatii Apostolici Vaticani coram SS. D. N. Pio PP. IX. habebitur Congregatio prosynodalis, cui intererunt Em^{mi} et Rev^{mi} DD. Cardinales ac Rev^{mi} Patres.

Intimentur itaque omnes et singuli Em^{mi} ac Rev^{mi} DD. Cardinale qui vestes violaceas cum rochetto, mantelletto et mozzetta induent, Rev^{mi} Patres, qui habitu praelatitio cum rochetto sibi respective convenienti induti aderunt.

Intimentur quoque Officiales majores, nempe Custodes;
Secretarius, subsecretarus corumque adjutores;
Notarii cum eorum adjutoribus;
Serutatores suffragiorum;
Promotores;
Magistri caeremoniarum;
Assignatores locorum, qui praescriptum juramentum in manibus San
titatis Suae praestabunt.

De Mandato SS. D. N. Papae,

Aloysius Ferrari,
Protonot. Apost. Caerem. Praefectus.

INTIMATIO

per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari.

Feria IV. die 8. decembris anni 1869., festo Conceptionis Immaculata Beatae Mariae Virginis, hora octava cum dimidio ante meridiem Concil Oecumenici Vaticani celebratio solemniter devota supplicatione inchoabitur a sacello, quod est supra porticum basilicae S. Petri, usque ad basilican

Statuta hora omnes ad Palatium apostolicum vaticanum convenient.

Em^{mi} et Rev^{mi} DD. Cardinales, et Rev^{mi} DD. Patriarchae in auli paramentorum; Rev^{mi} DD. Primates, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates qui locum in Concilio ex privilegio habent, ritus tam latini quam orien-

talis, in Museo lapidario induent sacras vestes unicuique ordini et ritui proprias, et, si latini sint, coloris albi cum mitris, nempe Cardinales scricodamascenis, ceteri ritus latini ex lino, orientales vero juxta eorum morem; et statim pergent ad sacellum, quod est supra porticum basilicae S. Petri, adventum **Sanctissimi Domini Nostri Papae Pii IX.** exspectantes.

Prior autem Cardinalium presbyterorum, duo Cardinales Diaconi Papac adstantes, Cardinalis Diaconus Evangelium in actione conciliari cantaturus, duo Episcopi Summo Pontifici de libro et candela inservientes, Subdiaconus apostolicus S. Rotae Auditor, in sacello Paulino ad usum Sacrariae composito sacra item paramenta coloris albi eisdem convenientia assument, excepto Cardinali presbytero, qui pluviale induit; et **Sanctitatem Suam** praestolabuntur una cum duobus Protonotariis apostolicis cum cappis, et Acolythis Signaturae votantibus indutis superpelliceo supra rochettum.

Summus Pontifex, sacris vestibus assumptis cum mitra pretiosa, procedet ad commemoratum sacellum, et cum hymnum *Veni, Creator Spiritus* intonaverit, absoluto primo versu, supplicatio inchoabitur, et deinde sacra omnis actio explebitur eo plane modo, qui in *Ordine, et Methodo celebrandi Concilium* est praescriptus.

Sanctissimus Pater, cum basilicam ingressus fuerit, e sella gestatoria descendet et prope aram maximam, adorato **Augustissimo Sacramento** exposito et finito hymno, versus et orationes cantabit ac deinde perget ad aulam conciliarem, et celebrabitur Missa ab Em^{mo} et Rev^{mo} Cardinali S. Collegii decano de **Beatae Mariae Virginis Concepcione Immaculata** cum oratione de **Spiritu Sancto**.

Dicta a Cardinali celebrante in fine Missae oratione *Placeat*, Rev^{mus} D. Archiepiscopus Orator, petita a Summo Pontifice Indulgentia, e suggestu Patres alloquetur et deinde Indulgentiam publicabit.

Summus Pontifex, impertita benedictione, pluviale deponet et omnibus sacris paramentis induetur, ac si Missam solemni pontificali ritu esset celebraturus.

Deinde praestita obedientia incipient preces conciliares, et cantato versu *Benedicamus Domino* omnes et singuli, qui conciliari Sessioni interesse minime debent, aula exibunt et fores claudentur.

Absoluta Sessione apertisque januis, **Sanctitas Sua** intonabit hymnum *Te Deum*.

Intimentur itaque omnes et singuli Em^{mi} et Rev^{mi} DD. S. E. R. Cardinales, Rev^{mi} DD. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, necnon Abbates, et supremi moderatores Congregationum et Ordinum Regularium ex apostolica concessione locum in Concilio Vaticano habentes.

Insper intimentur Vice-Camerarius, Princeps Solii Concilii Custos, R. C. A. Auditor et Thesaurarius, Antistes Pontificiae domui praepositus, Senator et Conservatores urbis, Magister S. Hospitii, Protonotarii apostolici

de numero participantium quinque, Auditores Rotae quatuor, Clerici C
merae apostolicae duo, Votantes Signaturae omnes,. Abbreviatores de Par
majori duo, Officiales Concilii.

Aloysius Ferrari,
Proton. Apost. Caerem. Praefectus.

INTIMATIO

per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari.

Feria VI. die 10. decembris 1869., hora nona matutina in Aula Co
ciliī habebitur prima oecumenicae Synodi Vaticanae Congregatio general
in qua fiet electio Judicium excusationum, nec non Judicium querelarum
controversiarum juxta n. v. Brevis Apostolici d. 27. novembris, quod ī
2. h. mensis Patribus Concilii in Congregationē prae synodali distributu
est. Electio fiet per schedulas secretas, ita ut quilibet Patrum in u
schedula describat *quinque* nomina eorum Patrum, quos ipse in Judic
excusationum, in altera autem schedula *quinque* nomina eorum, qnos
Judices querelarum et controversiarum eligendos deliberaverit.

Romae, 6. decembris 1869.

Josephus Ep. Sancti Hippolyti,
Secretar. Concilij Vatic.

MONITUM.

In Congregationibus synodalibus, sive generalibus, sive particularibus
Em^{mi} et Rev^{mi} DD. Cardinales supra rochettum induent mantelletum
mozzettam coloris rubri vel violacei, juxta temporis qualitatem, prout
libello *Denunciatio dierum*, etc., praescribitur.

Rev^{mi} Patres habitu praelatitio ordinario induti accendent, nemp
Rev^{mi} Patriarchae rochetto, mantelletto et mozzetta violacei coloris, Rev^{mi}
Primates, Archiepiscopi et Episcopi rochetto et mantelletto coloris ite
violacei, et Rev^{mi} Patres regularibus Ordinibus addicti mantelletto et mo
zetta coloris habitus suae religionis. Rev^{mi} Patres ritus Orientalis induent

vestes ordinarias juxta morem sui ritus. RR. Abbates regulares utentur habitu praelatitio, quem in sua Congregatione solent adhibere.

Locus, hora et dies singularum Congregationum a. R. P. D. Secretario indicentur.

Aloysius Ferrari,
Protonot. Apost. Caerem. Praefectus.

MONITUM.

In *Methodo* servanda in proximo sacro oecumenico Concilio, §. 148. praescribitur, quod Reverendissimi Patres sacras vestes deponant in sacellis aulae conciliari proximis, scilicet Gregoriano B. Mariae V. et S. Petronillae. Ob causas, quae, dum praedicta Methodus exarata fuit, adhuc non innotuerant, Rev^{mi} Patres nequaquam in dictis sacellis pluviale exuent, sed extra aulam praedictam, ac proinde, si eis libuerit, id praestare poterunt in sacello transfixionis B. M. V. opportune disposito, quod est prope januam primariam Basilicae a dextris ingredientis.

Aloysius Ferrari,
Protonot. Apost. Caerem. Praefectus.

XXII.

SERMO

IN EVANGELIUM DOMINICAE PRIMAE ADVENTUS

HABITUS IN BASILICA S. PETRI

IMMINENTE OECUMENICO CONCILIO VATICANO

A. FR. RAIMUNDO BIANCHI

PROCURATORE GENERALI ORDINIS PRAEDICATORUM.

D. 28. Nov. 1869.

Quamquam plura sint eaque gravissima, quae miro nexu ac ordine duplum Christi adventum jure consariant, atque a visibilibus ad invisibilia conspicienda nos erigunt, illud tamen vel maxime praestat, quo praesepe infantis mens nostra sursum elevata ad tribunal judicis Christi: verum Deum firmiter credit, ac inde spes et gaudium est justis, impi vero pavor et consternatio in exspectatione adventus magni Dei, cum portenta facta in sole, luna et stellis¹, nubibus invectus, spiritualibus coelorum Virtutibus, Thronis et Dominationibus innixus, ac omnibus beatorum spirituum ordinibus stipatus, Judex est venturus. Mirandum sane illud expectaculum, cuius similitudinem quamdam diebus hisce nostris comple videmus in *corpo ejus, quod est Ecclesia*.² Et haec enim tot inter bellum quae eam undique premunt cum virorum modicae fidei scandalo, et in piorum cachinnis, qui eam velut jam mortuam, vel jam morituram denunciant, renovata sicut aquila in juventute sua, majestatis ac gloria veste redimita, et Spiritu Sancto repleta exurgit in judicium, et Petro i Te, Beatissime Pater, ejus successore, adhuc vivente et praeside, atque omnium Ecclesiarum Angelis assistentibus, judicabit orbem terrae in veritate et justitia.³ Vere a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris.⁴ O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei⁵, qui ut aevum quolibet et quocumque in discrimine justos in fide firmaret et consolaretu impios autem terroreret ad poenitentiam, sicut Christum in potestate iudicandi Deum esse prodit, ita Ecclesiam, eadem potestate donatam, non ha-

¹ Luc. 21, 25.² Col. 1, 24.³ Ps. 95, 13.⁴ Ps. 117, 23.⁵ Rom. 11, 33.

minis, sed manuum suarum opus esse declarat, adeoque irrito conatu in eam fremere ac insurgere inferorum portas; scriptum est enim: *Non praevalebunt.*¹

Mittens Deus Filium suum in mundum, ut salvaretur mundus per ipsum², *omne judicium dedit ei*³ omnemque potestatem⁴, ut sicut omnia per ipsum facta sunt⁵, omnia per ipsum judicarentur, et *omnes honorificarent Filium sicut honorificant Patrem, qui misit illum.*⁶ *Cognoscetur Dominus iudicia faciens*⁷, *quoniam Deus iudex est.*⁸ Cognoscetur in sole obscurato, in luna atro sanguine perfusa, in stellis de coelo cadentibus, in virtute multa et majestate venientis atque in angelorum comitatu. Cognoscetur, cum, congregatis coram eo cunctis gentibus, *illuminabit abscondita tenebrarum*⁹, omnem iniquitatem et hypocrismus revelabit, veritatem ab errore, et virtutem a vitio secernet, ac rebus omnibus renovatis et instauratis in *Ipsius*¹⁰, electis coronas, reprobis vero poenas aeternas rependet: *cognoscetur Dominus iudicia faciens, quoniam Deus iudex est.*

Haud aliter Christus Dei Filius in terram missus a Patre, volens Ecclesiam super petram aedificare, sibique eam despansare in fide in sempiternum¹¹, omne judicium omnemque potestatem, quam Ipse a Patre accepérat, dedit illi, ut omnes eam honorificarent, sicut honorificant Ipsum, qui aedificavit eam. Quapropter Ipse, qui veritas est¹², constituit eam columnam et firmamentum veritatis¹³, ipsumque Spiritum Paracletum dedit ei, qui eam doceret omnia¹⁴; qui sedet a dextris Patris¹⁵, assistere eam fecit reginam¹⁶ in throno suo; qui solus *aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit*¹⁷, claves regni caelorum tradidit illi¹⁸. Seque ipsum cum illa futurum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi¹⁹ est pollicitus, plenissimam elargiens facultatem ligandi atque solvendi²⁰, ita ut, quod illa ligat, Ipse non solvat, et quod illa solvit, Ipse non liget, rata enim se habiturum in coelo ejus iudicia promisit. *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Tibi dabo claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis.* Promisit, inquam, nec sua deesse promissioni potest: *coelum enim et terra transibunt, verba autem ejus non praeteribunt.*²¹

Quod quidem ad amussim in Ecclesia impletum anteactis hucusque saeculis, vidimus in ejus iudiciis omnibus ab illo, quod in Jerusalem ab Apostolis est prolatum ad Tridentinum usque, et modo implendum firmissime credimus in Vaticano.

¹ Matth. 16, 18. ² Joan. 3, 17. ³ Joan. 5, 22.

⁴ Matth. 28, 13. ⁵ Joan. 1, 3. ⁶ Joan. 5, 23.

⁷ Ps. 9, 17. ⁸ Ps. 49, 6. ⁹ I. Cor. 4, 5.

¹⁰ Eph. 1, 10. ¹¹ Ose. 2, 20. ¹² Joan. 14, 6.

¹³ I. Tim. 3, 15. ¹⁴ Joan. 14, 26. ¹⁵ Matth. 26, 64.

¹⁶ Ps. 44, 10. ¹⁷ Apoc. 3, 7. ¹⁸ Matth. 16, 19.

¹⁹ Matth. 28, 20. ²⁰ Matth. 16, 19. ²¹ Matth. 24, 25.

Ecce, jam dies magni judicii appropinquit, et videbunt omnes gentes Christi sponsam Ecclesiam, innixam super dilectum suum, in humilitate gloriosam, in infirmitate potentem, in doctrinae thesauris custodiendis intergerrimam, in judicium exurgere; et vel impii ipsi, licet inviti, eam vere divinam fateri cogentur. Et vere divinam jam eam ostendunt signa illa, quae, sicut in Christi judicio, praecedunt in coeli ac terrae universae commotione, dum cernimus alios gestire laetitia, quia prope credunt redemptionem¹, alios arescere prae timore², quia *judicium est mundi*³, et infernum ipsum rabie fremere et contremiscere, quia *princeps hujus mundi*, cui nomen mendacium et error, *ejicietur foras*.⁴ *Et movebo coelum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes.*⁵

Ast *judicium iam sedit*⁶, et videbunt omnes populi Christi Vicarium in virtute multa et majestate, et omnes Ecclesiarum Angelos cum eo, qui in veritate judicabunt in nationibus.⁷ Judicabunt, et afflante Spiritu Sancto, *cujus ventilabrum in manu ipsorum*⁸, purgabunt aream suam, quae est Ecclesia, et granum a palea, id est, justitiam ab iniuitate, lictum ab illico, veritatem ab errore secernent, et repetentes quod primo in Jerusalem est pronuntiatum: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*⁹, Dei gloriam et laudem augebunt, fovebunt bonos, revocabunt errantes, haereticos ac improbos coercent et condemnabunt. Judicabunt, et afflictam ac prostratam tot adversis christianam civilemque ipsam rempublicam restituent; et pristinum decorem, ac antiquam pulchritudinem Christi sponsae instaurabunt. Judicabunt, et Christi ac Ecclesiae hostibus fusis ac dispersis, non ad mortem, sed ad salutem, omne mendacium et errorem revelabunt et conterent; refloredit justitia, et morum doctrina ac felicitatis semita divinaeque jubar veritatis cunctis gentibus illucescat, et, Spiritu Sancto ubique in orbe terrarum noviter et abundantius effuso, renovabitur facies terrae¹⁰: ac utinam fiat, fiat *unum ovile et unus pastor!*¹¹ Judicabunt, et eorum judicia rata habebuntur in coelo, et manebunt in saecula, monumenta viva atque aeterna divinitatis Ecclesiae sponsae Christi, in quam ideo inutiliter insurgunt gentes et reges et principes, et populi meditantur inania.¹²

Levemus igitur capita nostra et respiciamus gaudentes et gratias dicentes Deo, quia appropinquit redemptio nostra.¹³ Laetentur coeli, et exultet terra, quia Ecclesia nostra ad judicandum venit. Et Vos, Patres, Vos Ecclesiae lumina ac sidera, laudis hymnum solvite et cantate Deo, atque benedicte Ei, qui, *constitutus Judex vivorum et mortuorum*¹⁴, Vos quoque

¹ Luc. 21, 28.

² Luc. 21, 26.

³ Joan. 12, 31.

⁴ Joan. 12, 31.

⁵ Agg. 2, 7, 8.

⁶ Dan. 7, 10.

⁷ Ps. 109, 6.

⁸ Matth. 3, 12.

⁹ Act. 15, 28.

¹⁰ Ps. 103, 30.

¹¹ Joan. 10, 16.

¹² Ps. 2, 1.

¹³ Luc. 21, 28.

¹⁴ Act. 10, 42.

judices constituit In domo sua, omne judicium et potestatem Vobis relinquentes. Procul, procul absit a Vobis omnis errandi vel a vero deflectendi formido, cum medius Vestrum stet Ille, cui dictum est: *Petre, rogavi pro Te, ut non deficiat fides tua*¹... *Pasce agnos meos, pasce oves meas*²... *et confirma fratres tuos.*³

XXIII.

CONGREGATIO PROSYNODALIS.

2. DEC. 1869.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONGREGATIONE GENERALI

ANTE PRIMAM SESSIONEM CONCILII VATICANI

A. SS. DOMINO NOSTRO PIO DIVINA PROVIDENTIA PP. IX.

DIE 2. DECEMBRIS ANNO 1869.

AD EPISCOPOS CATHOLICI ORBIS

QUI AD IDEM CONCILIUM ROMAM CONVENERUNT.

Venerabiles Fratres!

Sacri oecumenici Vaticani concilii conventus post paucos hinc dies auspicaturi, nihil opportunius Nobisque jucundius existimavimus, VV. FF., quam ut Vos universos hodierno die juxta Nostra hic desideria congregatos alloqui, ac praecipuam caritatem, quam intimo corde alimus, Vobis aperire possemus. Cum enim de re maxima agatur, qualis est illa, in qua de remediis comparandis agitur tot malis, quae christianam et civilem societatem hoc tempore perturbant, putavimus Apostolica Nostra sollicitudine dignum esse, et tantae rei magnitudini consentaneum, ut, antequam con-

¹ Luc. 22, 32.² Joan. 21, 15. 17.³ Luc. 22, 32

ciliarium rerum actio initium habeat, in omnis gratiae auspiciu Vobis caelestis benedictionis opem a Deo clementissimo precaremur; ac necessarium censuimus, Vobis eas tradere normas Apostolicis nostris litteris consignatas atque editas, quas ad omnia in conciliaribus actionibus rite et ordine agenda, constituendas esse judicavimus. Hoc autem illud est, VV. FF., quod, Deo et immaculata Deipara votis nostris annuente, hodierno die in amplissimo hoc Vestro conventu peragimus; nec satis verbis explicare possumus ingentem eam consolationem, quam Vestra haec exoptata, et debita Apostolicae vocis obsequio frequentia Nobis ingerit, cum Vos tandem ex omnibus Catholici Orbis partibus in hanc almam Urbem indicti a Nobis concilii causa convenisse, et summa animorum consensione Nobiscum conjunctos aspiciamus, quos eximia erga Nos et Apostolicam Sedem devotio, mirificus ad navandam Christi regno operam ardor, et in pluribus etiam, tribulationum pro Christo perpessio jure efficit cordi Nostro carissimos. Haec autem, VV. FF., haec Vestra Nobiscum conjunctio eo gratior Nobis accidit, quod in ea haerentes Apostolorum vestigiis insistimus, qui suae unanimae et constantis cum divino Magistro conjunctionis luculenta Nobis exempla reliquerunt. Nostis enim ex sacris litteris, cum Christus Dominus Palaestinae regiones peragrans iter faceret per civitates et castella, praedicans et evangelizans regnum Dei, Ejus lateri Apostolos pari omnes studio adhaesisse, et duodecim cum Illo, uti Sanctus Lucas¹ loquitur, fideliter quacumque iter haberet, esse versatos. Atque haec Apostolorum conjunctio splendidius etiam enituit eo tempore, cum caelestis Magister docens in Capharnaum de divinae Eucharistiae mysterio coram Hebraeis fusori sermone pertractavit: tunc enim, cum gens illa carnalis et obtusioris sensus sibi de tantae caritatis opere persuadere non posset, atque ita Magistri pertaesam se ostendisset, ut multi discipulorum, Joanne testante², abirent retro et non cum Illo ambularent, Apostolorum tamen amor in Magistri veneratione et obsequio immotus perstitit, et Jesu Apostolos percunctante, num et ipsi vellent abire, graviter id ferens Petrus in eas voces erupit: „Domine, ad quem ibimus?“ ac rationem adjecit, quare Dominum constanti fide sequi velle statueret: „verba vitae aeternae habes.“ Haec nos animo recolentes, quid dulcius aut jucundius hac nostra conjunctione reputare, quid porro etiam firmius ac stabilius tueri debeamus? Non deerunt certe Nobis, una licet in Christi nomine conjunctis, non deerunt contradictiones ac dimicationes subeundae, nec inimicus homo segnis erit, nil magis cupiens quam superseminare zizania; at Nos memores Apostolicae firmitudinis et constantiae, quae Domini praeconio laudari meruit, „vos estis qui permansistis mecum in temptationibus meis³“ memores Redemptoris Nostri discrete denunciantis „qui mecum non est contra me est,“ officii pariter Nostri memores esse debebimus, omni studio curare, ut incon-

¹ Luc. 8, 1.² Joan. 6, 67.³ Luc. 22, 28.

cussa fide ac firmitate Christum sequamur, Illique omni tempore concordibus animis alhaereamus. In ea enim, VV. FF., conditione constituti sumus, ut in acie adversus multiplices eosdemque acerrimos hostes diuturna jam contentione versemur. Utamur oportet spiritualibus militiae Nostrae armis, totamque certaminis vim tum divina innixi auctoritate, tum caritatis, patientiae, precationis et constantiae clypeo sustineamus. Nihil autem metus est, ne vires nobis in hac dimicatione deficiant, si in Auctorem et Consummatorem Fidei nostrae oculos animosque conjicere voluerimus. Si enim Apostoli oculis et cogitatione in Christo Jesu defixi satis ex hoc animi viriumque sumserunt, ut adversa quaeque strenue perferrent, Nos pariter Ipsum adspicientes in salutari pignore redemptionis nostrae, ex hoc aspectu, unde divina manat virtus, nos eam vim roburque inveniemus, quo calumnias, injurias, inimicorum artes superemus, ac salutem nobis totque etiam miseris a via veritatis errantibus ex Christi cruce haurire laetabimur. Neque vero Redemptorem Nostrum respicere contenti, eam quoque mentis docilitatem induamus necesse est, ut Eidem libenter toto cordis affectu audientes simus. Hoc est enim quod ipse Pater caelestis majestatis suae auctoritate praecepit, cum revelante Christo Domino gloriam suam in monte praecelso coram electis testibus: „Hic est, inquit, Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; Ipsum audite.“ Jesum igitur prono mentis obsequio audiamus utique in omni re, at in ea praeципue, quam Ipse ita cordi habuit, ut praeoscens difficultates, quibus ipsa obnoxia futura esset in mundo, de illa ipsa Patrem suum obsecrare in novissima coena effusis iteratisque votis non omiserit: „Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut Nos.“¹ Una itaque anima cum uno corde in Christo Jesu sit cunctis. Non aliud sane Nobis majori consolationi futurum est, quam si obsequentem Christi monitis aurem cordis jugiter praebuerimus, quo pacto et nos esse cum Christo agnoscemus, et perspicuum aeternae salutis pignus inesse reperiemus in nobis: „qui enim ex Deo est verba Dei audit.“²

Has Pontificiae Nostrae cohortationis voces ex intimo corde depromptas, omnipotens et misericors Deus, Deipara Immaculata deprecante, potentia sua ope confirmet, efficiatque propitius, ut uberibus fructibus augeantur. Convertat deinde faciem suam ad Vos, VV. FF., ac tum corpora tum animos vestros benedictionis suae gratia prosequatur: corpora nempe, ut labores omnes, qui a vestro sacro ministerio abesse non possunt, strenue alacriterque ferre valeatis; animos vero, ut caelestibus auxiliis abunde repleti, sacerdotalis vitae exemplis et virtutum omnium splendore in Christiani gregis salutem praeluceatis. Hujus autem benedictionis gratia Vobis continenter adsit, atque omnibus vitae vestrae diebus clementer adspiret, ut dies pleni inveniantur in Vobis; pleni sanctitatis et justitiae, pleni sanc-

¹ Joan. 17, 11.² Joan. 8, 47.

torum operum fructibus, in quibus verae nobis divitiae et gloria continetur. Atque ita Nobis continget feliciter, ut, expleto mortalis peregrinationis cursu, in novissimo illo vitae die dicere cum Propheta Rege non vereamur: „Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus“; atque aditum Nobis patere plane confidamus in montem sanctum Sion, caelestem Hierusalem.

XXIV.

FORMULA JURISJURANDI

- AB OFFICIALIBUS SS. CONCILII PRAESTITI

DIE 2. DEC. 1869.

Nos a Sanctitate Vestra electi Officiales generalis concilii Vaticani, tactis per nos sacrosanctis Dei Evangelii, promittimus et juramus officium unicuique nostrum respective demandatum fideliter impleturos, nec insuper evulgaturos, vel alicui extra gremium praedicti concilii pandituros quaecumque in eodem concilio examinanda proponentur, itemque discussiones, et singulorum sententias, sed super iis omnibus, quemadmodum et super aliis rebus, quae nobis specialiter committentur, inviolabilem secreti fidem servaturos.

XXV.

NOMINA STENOGRAPHORUM
SS. CONCILII VATICANI,

QUI DIE 2. DEC. 1869.

JURAMENTUM IN MANUS

R^{mi} SECRETARII CONCILII VATICANI PRAESTITERUNT.Sac. Virginius *Marchese*, Taurin., director.E seminario Romano: Sac. Antonius *Cavi*, e castello Bononiensi (Castelbolognese). Sac. Paulus *Leva*, Romanus. Sac. Julius *Tondo*, Romanus.E seminario Pio: Sac. Petrus *Capponi*, Asculanus (Picen.). Sac. Alex. *Orsini*, Tudertinus. Sac. Alex. *Volpini*, Montefaliscan.E collegio Caprancensi: Acolythus Carolus *Zei*, Florent. Acol. Joannes *Zonghi*, Fabrianensis.E seminario Gallico S. *Clarae*: Sac. Henricus *Bougouin*, e Lamothe S. Heray (dioec. Pictav.) Sac. Gustavus *de Dartein*, Argentorat. Sac. Leo *Déhon*, e La Capelle (dioec. Suession.) Sac. Jos. *Dugas*, Lugdunensis.E collegio Germanico-Hungarico: Sac. Dionys. *Delama*, e Spormaggiore (dioec. Trident.). Sac. Paulus *Gierich*, e Rybnik (dioec. Vratislav.). Sac. Dominic. *Hengesch*, e Düdlingen C. Vic. apost. Luxemb.). Sac. Jo. B. *Huber*, e Traunstein (Bavar.)E collegio Anglico: Subd. Samuel *Allen*, ex Hockoport (Cheshire). Acol. Jac. *Guiron*, Londin.E collegio Scotico: Sac. Aeneas *Mac-Tarlane*, e Lochaber.E collegio Hibernico: Diaconus Patricius *Tynan*, e castle Dermot (dioec. Dublin). Acolyth. Mich. *Hyggins*, e Middleton (dioec. Cloyn.).E collegio Americano-septentrionali: Sac. Theodorus *Metcalf*, Bostoniensis. Acol. Petrus *Geyer*, e Dayton (dioec. Cincinnat.).

XXVI.

INSCRIPTIONES
A U L A E C O N C I L I A R I S.

SUPRA PORTAM MAJOREM
EXTRINSECUS:

DOCETE OMNES GENTES
ECCE EGO VOBISCVM SVM . OMNIBVS DIEBVS
VSQVE AD CONSVMMATIONEM SAECVLI

INTRINSECUS:

ADSIDIS VOLENS PROPITIA
ECCLESIAE DECVS AC . FIRMAMENTVM
IMPLE SPEM IN TVO PRAÉSIDIO POSITAM
QVAE CVNCTAS HAERESES
SOLA . INTEREMISTI

INFRA STATUAS PICTAS QUATUOR DOCTORUM
ECCLESIAE.

SANCTI AMBROSII:

SANCTVS AMBROSIVS
MAGNITUDINE ANIMI . LABORIBVS
SCRIPTIS INSIGNIS
CVIVS PECTVS . VT SANCTVM DEI
ORACVLVM
AVGVSTINVS HABVIT ET PRAEDICAVIT

SANCTI HIERONYMI:

SANCTVS HIERONYMVS
QVEM HAERETICI METVENDVM HOSTEM
SENSERE
ECCLESIA CHR. SCRIPTVRIS S. INTERPRETANDIS
DOCTOREM MAX DIVINITVS DATVM AGNOVIT

SANCTI JOANNIS CHRYSOSTOMI:

SANCTVS JOANNES CHRYSOSTOMVS
ADMIRABILITATE ELOQVENTIAE
REBVS . STRENVE . ET . CONSTANTER
. IN ARCHIEP MVNERE . GESTIS TANTVS . HEROS
VT VEL VNVS ORIENTALEM ECCLESIAM
AETERNO DECORE ILLVSTRARIT

SANCTI AUGUSTINI:

SANCTVS AVGVSTINVS
INGENIO DOCTRINA . DISCEPTATIONE
CATHOLICI NOMINIS . AMPLITUDINI . PAR
QVI . QVO PLVS CHRISTI GRATIAE DEBVIT
EO FVIT IN ILLA ADSERENDA GLORIOSIOR.

NOTA. Quia nostrum est acta publica quam possumus fidelissime reddere sed dum exemplaria ab ipsis collegiis ecclesiasticis edita, hoc loco tandem adjungimus nominationes, quae ad congregaciones pro praeparandis materiis Concilii (v. p. 59 postea factae sunt.

Aggregati sunt:

Ad Congregationem Cardinaliciam directricem:

Card. Antonius *de Luca*.

Ad Commissionem politico-ecclesiasticam:

Consultores: Alex. *Biondi*, prof. philos. pr. in gymn. Rom.
Anton. *Ortis Orruela*, canonista e Guatimala.
Jo. *Campelo*, prof. in univ. Hispal.

Ad Commissionem pro regularibus:

Consultor: *Freppel*, decanus S. Genovefae, prof. Sorbon.

Ad Commissionem theol. dogmat.

Guilielm. *Weathers*, prael. dom., can. Westmonaster.

Commissio pro praeparandis habitationibus in usum PP. Concilii.

Praeses: Jo. *Simeoni*, secr. Congr. de prop. fide.

Consultores: Achilles *Apolloni*.

Caesar *Prosperi-Buzi*.

Aloys. *Macchi*.

Henric. *Folchi*.

Jacob. *Gallo*.

PARS II.

ACTA PUBLICA ET DECRETA

IPSIUS

SS. OECUMENICI CONCILII VATICANI.

SESSIO I.

HABITA DIE 8. DEC. 1869.

SERMO

HABITUS CORAM SS. D. N. P. PIO IX.

AB ARCHIEP. ICONIENSI I. P. I.

‘PUECHER-PASSAVALLI,

VICARIO BASILICAE VATICANAE.

Beatissime Pater!

Electus, qui initium facerem rei, qua in toto fortasse terrarum orbe alia nulla aut sanctior aut gravior esse potest, fateor, me statim, tanto officio imparem, ita animum despondisse, ut nihil ad illud declinandum praetermissem, nisi vox Ejus, qui verendo totius majestatis sacerdotalis fulgore, huic nostro conventui praesidet, me recreasset atque erexisset. Quamquam itaque neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate aut meritis cum iis, qui mei sunt in Episcopatu collegae, sim comparandus, onus nihilo tamen secius suscepi, confisus praesertim illo Sancti Spiritus effato: *Vir obediens loquetur victorias.* (Prov. XXI, 28.)

Accedit alia quoque ratio, quae me ad illud capessendum non parum impulit. Nam cum ego primas vitales auras in ea urbe haussem, in qua catholica Ecclesia suum postremum concilium habuit, quod tot tantisque laudibus merito celebratur, ac pene cunctis miraculum visum est; subiit cogitatio, me divinam illam Providentiam, quam saepe in orbe terrarum ludere jam notum est, ad hoc munus opera supremi Christi Vicarii prae aliis omnibus excitasse, ut Vobis saltem vel ipsa mea tenuitate in memoriam revocaret saluberrima christiano orbi beneficia per illud tunc temporis a se collata, quorum recordatione animi vestri in spem maximam erigi possent, nunc quoque Vobis affuturam suoque arcano consilio cuncta in Ecclesiae bonum disposituram.

Quibus omnibus ego ipse non minimum relevatus animum sumo, ac officium, quod mihi obedientia, nedum providens Dei consilium imposuit, alacriter aggredior, atque hanc universalis Ecclesiae Synodus auspicor ab illis Davidicis verbis: *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* (Ps. CXV, 7 et 8.) His enim quum lacrimabilis hodierna nostra conditio, tum etiam laetus rerum futurarum eventus summis quasi lineis pingi ac veluti sub oculos portendi ac sisti mihi videntur.

Neminem vestrum, Venerabiles Patres, posse latere arbitror, verba, quae nuper protuli, peculiari quadam ac sapienti ratione ab ipsa Ecclesia ad Apostolos eorumque divinam missionem fuisse relata. Probe enim nostis, quomodo hi, statim ac Paracleti munere, quod eis pollicitus fuerat Jesus his verbis: *Et ego millo promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quo adusque induamini virtute ex alto* (Luc. XXIV, 49.) cumulatissime afflati fuissent ac veluti saginati, universum orbem prædicatione evangelica aggressi sint. Nostis, quomodo divino caelestis doctrinae semine ab ipso Verbo locupletati, illud abunde sparserint, quacumque pedes intulissent, super terram jacentes, quae jam inde ab exordio mundi, quando maledicta est in hominis opere, quadraginta saeculorum spatio conversa fuerat, ut Leo Magnus de Roma ipsa testatur, *in silvam frementium bestiarum ac turbulentissimae profunditatis oceanum* (Serm. I. de SS. Apost. Petro et Paulo).

Nostis atque ipsis vestris oculis mihi videmini hos inopes piscatores vos videre auxiliis omnibus, quibus humana nititur fides, destitutos, qua vastissima maria solos tranare, qua terras sive solitudine cinctas, sive montibus inaccessas inermes penetrare, qua regna ac provincias et amplitudine immensas et locorum distantiis exterminatas sine baculo ac pera transcurrere; atque haec omnia, quis tunc hominum credidisset? ob illud unum, nempe ut gentes partim immanitate barbaras et moribus ac ritibus efferatas, partim, litteris licet ac scientiis excutas, vitiis nihilominus sicut ceteras atque omni turpitudinum genere obrutas opprobrioso isto ac tyrranico jugo eriperent, et cruci Domini manciparent.

Qua quidem in re nemo non percipit, quot labores exantlare debuerint, quas perpeti aerumnas, quas denique injurias ac persecuciones perferre. Dies me deficeret, si haec omnia vellem vobis evolvere, quin et lingua; innumerabilia sunt enim, ac pene dixerim ineffabilia. *Quid dicam,* ajebat ipse Chrysostomus, cui haec erant diuturna meditatione perspecta atque explorata, *quid dicam, aut quid loquar vestras contemplans afflictiones, nescio.* *Quot carceres sanctificasti?* *Quot catenas decorasti?* *Quod tormenta sustinuisti?* *Quot maledicta tolerasti?* *Quomodo Christum portasti?* *Quomodo prædicatione Ecclesias laetificasti?* (Serm. apud. Metaphras.)

Vere itaque, vere, inquam, de Apostolis regius Psaltes cecinerat, quod *euntes ibant et flebant mittentes semina sua.* Sed videte, Venerabiles Patres,

hujus Apostolici fletus plane mirum effectum! Is siquidem erat, qualis est in maximis siccitatibus nocturna pluvia, qua placide in aridum solum de- cidente, germinant herbac, folia virescunt, ac flores languentia tollunt cap- ta, clausosque aperiunt calices, quibus interim aër fragrantissima unde- quaque mille odorum suavitate perfunditur. Namque veritatis semen squa- lentibus illis agris immisum, postquam hi fuissent Apostolorum lacrymis irrigati, adeo uberrimos tulit fructus, ut, ubi horrida prius sterilitas oc- currebat, admiranda fecunditas suspiceretur, atque, unde tribuli tantum ac spinac exsurgebant, largae inde flavescerent segetes metentium manum ex- poscentes, qui eas in manipulos colligatas Dominicis horreis inferrent.

Atque hunc procul dubio, Vos scitis, exitum habuere innumeri Apo- stolorum labores. Fletus enim eorum, messium copia perspecta, in gau- dium est versus, moerorem expulit laetitiā, quae tanto majore consolatione uniuscujusque animum permulcere profecto debuit, quanto graviore tristitia demersi fuerant, quantoque ampliorem ex ipsis fructibus etiam mercedem sperabant se esse consecuturos, quum illis onusti Domino vineae occurris- sent: *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Quae cum ita sint, nullus dubito, Venerabiles Patres, quin in illa Apo- stolorum hodiernam vestram conditionem repraesentarim. Vos namque video e remotissimis quoque terrarum partibus ad hunc augustum concessum lubenter quidem accurrisse, sed fronte simul attrita, demissoque curarum pondere capite, atque animis mocrore confectis, propter horrendas ani- marum strages, quas antiquus humani generis adversarius jam edidit, quas- que etiam parat maiores in posterum editurus. Vos, inquam, video ad mysticum hoc coenaculum adventasse, ut, viribus consiliisque collatis, uberi- us inde veritatis ac justitiae semen nancisceremini. Nec frustra erit ex- spectatio vestra, idque Vobis apertissime ostendit ipsa gravitas rerum, quae in hac Synodo erunt pertractandae..

Porro longe absit, ut ego velim sapientissimas vestras deliberationes praevertere, si luminosis insistens vestigiis ab augusto nostro Pontifice libere jam patefactis, affirmare nunc ausim, divitem ex ea caelestis illius seminis copiam affatim comparandi facultatem amplissimam Vobis omnibus esse datam. Agetur enim, quomodo christiani populi, a putridis vitiatis- que omni errorum colluvie cisternis abducti, ad limpidas atque inexhaustas Servatoris aquas possint revocari: quomodo benefica Ecclesiae actio sive novas formas induta, sive novis instructa adminiculis vegetior redi possit, ut secundum eum finem, ad quem est instituta, non antea tentatos calles pervadat, atque alia identidem sibi ora adaperiat, quibus Paracleti virtus et gratia in singula mystici Christi corporis membra tutius ac facilius ef- fundi queat: quomodo item vividae fidelium vires in unum adeo arcte sint constringendae, ut insanis atheismi, hypocrisis impietatisque ausibus ob- sistere possint eosque irritos facere, imo etiam confringere ac penitus ex- terminare: quomodo denique, uno verbo dicam, christianorum spiritus ac vita instauranda sit, ita ut ea ipsa divina luce resplendeat, qua primum

in terris visa est, quum religio haec nostra, pulcherrima ac dilecta Dei filia, aquae et sanguinis sacramento, quod e latere Redemptoris effluxerat, emaculata a Calvario monte descendit, universo orbe, quem sibi in haereditatem acceperat, potitura.

Neque aliter profecto argendum est de maximo hoc nostro conventu. Ecquis enim poterit mente concipere, quae et quanta ex hoc veluti altero coenaculo pastoralis charitas emanatura sit? Quae et quanta sapientiae vis istinc eruptura, quum non modo uniuscujusvis animi sensa, sed et ipsius cordis affectus in communem usum conferentes gravissimas illas totius humanitatis necessitates diligentissime agitabitis atque acriter perpendetis? Vos certe his omnibus absolutis, atque ingenti doctrinac ac virtutum thesauro cumulati Roma, Jerusalem altera, in vestram unusquisque dioecesim proficisciemini. Vos iterum Europae regna, iterum extrema Asiae atque insulae Oceani, iterum Africæ atque Americæ regiones excipient, omnesque Sancti Spiritus igne flagrantes, Vos solertes continuo agricolas visent, solum hucusque incultum proscindere, agros serere, vineas putare, ut aut novos edant, aut uberiores referant fructus.

Ast hinc labor, Venerabiles Patres, hinc amarissimi dies, innumerique dolores, hinc et in Vos impleri incipient verba illa Davidica: *Euntes ibant, et flebant mittentes semina sua.* Nam tum demum, quum operi manus Vobis erit admovenda, palam apparebit, cum quibus quantisque adversariis opus fuerit dimicare. Hinc philosophi ac politici, ut ajunt, viri, hinc principes ac reges ipsique populi in unum conjurabunt, ut vestrae pietatis studia, vestraeque industriae beneficia in irritum cadant; tum parte alia male feriati homines, modo apertum atheismum profitentes, modo foedissima hypocrisi circumamicti, inita societate, omnem movebunt lapidem, ut catholicam ipsam religionem, si fieri possit, e fundamentis evertant. Eheu! quale inde bellum, quam ferum quamque diuturnum! Eheu! quales hostes, quam pertinaces quamque implacabiles! His insuper addite, quae plaga est omnium fortasse maxima, plurimorum indifferentiam, qua Ecclesiam Christi premente, culta quaeque ac pinguis brevi tempore sterilescent necesse est, inque horridam solitudinem veniant, ubi squalor tantum ac mors latissime dominentur.

Atque inter hos fluctus, dicam aperte, inter has syrtes dolosas, Vobis incedendum est, Venerabiles Patres; inter has procellas, quae cuncta in praeceps minantur, Vobis, tamquam immotis scopolis versandum est: hue vestra est navis dirigenda, hue remi impellendi, huc demum omni animorum contentione incumbendum, ut incolumis sarta tecta servetur et Patrifamilias, a quo Vobis est credita, cum usura reddatur.

Nec mirum, ita se habere rem vestram, cum ipsi Vos, Venerabiles Patres, testes ejus sitis, et non aliorum tantum exemplo, verum etiam, saltem ex parte aliqua, ipsa vestra experientia probe sciatis, utrum possit hoc tantum facinus, non dicam ad perfectum adduci, sed neque inchoari, quin in vastum poenarum atque aegritudinum pelagus incurendum sit.

Namque revera opus esset aut numquam didicisse, quid missio Christi significet, et in quo se gerat sublime episcoporum mandatum; aut, quod omnino probosum esset, penitus ignorare, quot quantisque malis humanum genus obruatur, ut quis nequeat, in perfungendo hoc munere, vel primo obtutu, perspicere, quibus periculis quibusque contradictionibus obnoxius esse debeat, aut quomodo felix exitus sperari non possit, nisi animo ita sit comparatus, qualis erat Doctor gentium, qui de se palam profitebatur: *Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* (Coloss. 1, 24.)

Sed facite, Patres amplissimi, animo forti magnoque sitis. Si enim Dei prorsus arcanum est consilium, ut mysticum evangelicae doctrinæ semen nequeat germinare vel crescere, aut frondium pulchritudine florumque laetitia vigere, nisi ea conditione, ut virorum apostolicorum fletu et sanguine assidue madescat atque irrigetur; ipsius Dei est etiam voluntas, ut eas lacrymas, quae justitiae ac veritatis ergo effunduntur, piae ac sanctæ consolationes e caelo ubertim repensem, cum scriptum sit: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur!* (Matth. V, 5.) Nam si de Christi discipulis deque caeteris Evangelii praeconibus dictum est, quod *euntes ibant et flebant mittentes semina sua*, aequo de iisdem prolatum est, quod *venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Et si haec altera propheticorum verborum pars, jam ab initio Ecclesiae, ut vidimus, effectum suum plenissime est sortita, adeo ut scribere potuerit Apostolus: *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra* (II. Cor. 1, 5.), eundem effectum et Vobis propositum esse patet, dummodo eodem ac vestrorum praedecessorum spiritu moti sacris eorum vestigiis intrepide inhaerentis, *scientes, quod, sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationum* (ibid. v. 7).

Et quod reapse amplissimam ex nostris laboribus mercedem jam in hac vita simus consecuti, utque ingens praeterea nos maneat in caelis praemium a Deo, vel ex ipso, quod nunc nobis offertur, pignore clarissime evincitur; scilicet ex modo vere mirando, quo cogi potuit solemne hoc totius christianitatis Patrum Concilium. Quis enim non videt, Deum hoc facto, tam felicibus auspiciis inter omnigenas difficultates incepto, voluisse certissimum nobis indicium praebere eorum, quae in posterum speranda concipiimus, modo nos ipsi veritatis ac justitiae flumini, quod e rupe Vaticana mox processurum est, impedimento non simus? Atque hinc mihi liceat, quaeso, sublimes Patris ac filiorum dolores non sine pietatis sensu vobis commemorare.

Nos siquidem ad sacram Vaticani umbram quasi perfugio recepti mirabamur immensas, quas Satanus late ac rapidissime ruinas circa nos congerebat; mirabamur turbulentissimos impietatis fluctus quotidie magis in crescere, atque huic ipsi pacis asylo minari; trepidi proinde omnes gementesque et pallore confecti arbitrabamur, nos quoque, confractis templi ruderibus assidentes, spiritum iamjam exhalaturos esse ea lamentabili

amatoris fratrum voce: *Quomodo sedet sola civitas plena populo; facta e quasi vidua domina gentium; princeps provinciarum facta est sub tribut* (Thren.) Quum, ecce, radius purissimae lucis densas findit tenebras, spem nostram paene arescentem iterum sublevat: namque in mente supren nostri Hierarchae, qui navis temperat gubernaculum, oritur cogitatio no' Israël seniores fideique conjudices apud se convocandi, ut sancto Dei tabe naculo usque in intimis suis adytis ac recessibus ab innumerabilibus ac for midatissimis hostibus lacessito, communi omnium consensu quam primu provideatur.

Erat haec ab initio veluti nebula, quae mane paret, atque exempli quasi fulgur caelorum spatia pertransiens, cito evanescit. Verum Spiritu ille Paraclitus, qui a Patre Filioque procedit, atque in aeternum augusta hanc Cathedram suo praesidio tutatur, eam illico vivificat ac septiformi su luce fecundat: et, mirabile dictu! ea cogitatio similis grano sinapis, quo testante Evangelio, *minimum quidem est omnibus seminibus, quem autem creverit, magus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres coeli re niant, et habitent in ramis ejus;* (Matth. XIII, 32.) ea cogitatio, in qua vi efficacissima Paracleti statim erumpit, crescit ac citius dicto fit giga. Et ecce nos jam in unum ex universis terrae regionibus in hac immens Basilica, christiani ingenii miraculo, congregati: ecce nos ad sepulcrum Principis Apostolorum, unde adhuc perennis episcopalium virtutum au spirat ac viget; ecce nos ad Leonis, utriusque Gregorii et Chrysoston tumulos, e quibus post tot saeculorum diurnitatem diceres adhuc recer eloquentiae flumen prorumpere catholicae Ecclesiae agrum iterum irrgaturum. Quod vero magis ac magis solatio esse debet animosque per cellere, ecce nos penes ipsam Petri personam, qui in suis legitimis Successoribus praesens adhuc ac vivus eodem, quo olim, amoris impetu eadē que fide intonare videtur: *Tu es Christus, Filius Dei vivi;* unde et cael pariter, ubi ad Patris dexteram sedet, illud sublime Redemptoris responsum denuo exauditur: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super han petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt ad versus eam.*

Quae omnia, Venerabiles Patres, in memoriam lubet revocasse, et fiducia nostra his quasi fomentis vegetata majorem in modum effloresca ac majore animi nostri alacritate incendantur ad opus hoc perficiendum nempe hanc Synodus, in quam jam, non dicam populorum oculi, se spes universi orbis sunt conversae. Quae si Vobis ex una parte multa ac graves, justitiae causa, pariet afflictiones, Vosque in summas aliquand rediget angustias; ex alia quoque parte suavissimum Vobis omnium consolationum fontem aperiet, ac lactissimis etiam triumphis viam sternen parabitque.

Vestrum quidem est in praesens cum dolore ac fletu operi incumbere sed tempus postmodum veniet, testem habemus ipsum Dei Filium, quonos occupabit laetitia moerores, scriptum est enim: *Amen, amen dic*

vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. (Jo. XVI, 20.)

Neque exspectatio haec, equidem credo, Vos fallet, si mentis aciem in propositum hujusee oecumenici Concilii finem, qui in divina gloria atque aeterna animarum salute totus consistit, jugiter intendamus; si illud potissimum satagemus, ut hoc ipsum ex tot, quae venerandi ac magnanimi Pii frontem exornant, gemma omnium splendidissima evadat; si denique Ecclesiae fasti posterorum memoriae poterunt aliquando aureis litteris commendare, animorum pacem, cogitationum concordiam, coeptorum temperantiam, discussionum dignitatem, judicii aequitatem atque deliberationum omnium sapientiam, Venerabilium Patrum corda ac mentes usque adeo rexisse, ut quae nobis retro januae clauduntur, quum iterum reserentur orbi universo renuntiatura: *Visum est Spiritui Sancto et Nobis* (Act. XV, 28.), terra ipsa demum creatoris Spiritus impulsu praesentiat, quo se plenissime renovatam agnoscat, secundum illud: *Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.* (Ps. CIII, 30.)

Quae quidem, adprecante praesertim beata ac gloria semper Virgine Maria, cuius hodie Immaculatae Conceptionis mysterium summa totius mundi exultatione celebratur, concedere dignetur omnibus nobis aeternus Dei Filius, Dominus ac Redemptor noster Christus Jesus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in perpetuas aeternitates. Amen.

**ALLOCUTIO
SS. D. N. P. PII IX.
HABITA AD PATRES CONCILII VATICANI
IN PRIMA SESSIONE D. 8. DEC. 1869.**

Venerabiles Fratres!

Quod votis omnibus ac precibus ab Deo petebamus, ut oecumenicum Concilium à Nobis indictum concelebrare possemus, id insigni ac singula Dei ipsius beneficio, datum Nobis esse summopere laetamur. Itaque exultator Nostrum in Domino et incredibili consolatione perfunditur, quod a spicatissimo hoc die, Immaculatae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptioni sacro, Vos, qui in partem sollicitudinis Nostrae vocati estis, iterum majori quam alias frequentia in hac catholicae Religionis arce praesente intuemur, aspectuque Vestro perfruimur jucundissimo.

Vos autem nunc, Venerabiles Fratres, in nomine Christi congregati adestis, ut Nobiscum testimonium perhibeat Verbo Dei et testimonium Jesu Christi², viamque Dei in veritate omnes homines Nobiscum doceatis et de oppositionibus falsi nominis scientiae⁴ Nobiscum, Spiritu Sancto ducentur iudicetis⁵.

Si enim unquam alias, hoc maxime tempore, quo vere luxit et deflux terra infecta ab habitatoribus suis⁶, divinae gloriae zelus, et Dominie gregis salus a Nobis postulat, ut circumdemus Sion et complectamur eam narremus in turribus ejus, et ponamus corda Nostra in virtute ejus⁷.

Videtis enim, Venerabiles Fratres, quanto impetu antiquus humani generis hostis Domum Dei, quam decet sanctitudo, aggressus sit et usque aggrediatur. Eo auctore funesta illa impiorum conjuratio late grassatus quae conjunctione fortis, opibus potens, munita institutis, et velamen habens malitiae libertatem⁸, acerrimum adversus sanctam Christi Ecclesiam bellum, omni scelere imbutum urgere non desinit. Hujus belli genus, vir-

¹ Matth. 18, 20.

Apoc. 1, 2.

³ Matth. 22, 16.

⁴ I. Tim. 6, 20.

⁵ Act. Apost. 15, 19.

⁶ Isai. 24, 4, 5.

⁷ Psalm. 47, 13, 14.

⁸ I. Petr. 2, 16.

arma, progressus, consilia non ignoratis. Versatur Vobis continenter ante oculos sanarum doctrinarum, quibus humanae res in suis quaeque ordinibus innituntur, perturbatio et confusio, luctuosa juris cujusque perversio, multiplices mentiendi audacter et corrumpendi artes, quibus justitiae, honestatis et auctoritatis salutaria vincula solvuntur, pessimae quaeque cupiditates inflammantur, christiana fides ab animis funditus convellitur, ita ut certum hoc tempore Ecclesiae Dei metuendum esset exitium, si ullis hominum machinationibus et conatibus exscindi posset. *At nihil Ecclesia potentius, inquietabat sanctus Joannes Chrysostomus, Ecclesia est ipso caelo fortior. Caelum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt. Quae verba? Tu es Petrus, et super hunc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*¹.

Quamquam vero Civitas Domini virtutum, Civitas Dei Nostri in expugnabili fundamento nitatur, tamen agnoscentes ac intimo corde dolentes tantam malorum congeriem animarumque ruinam, ad quam avertendam vel vitam ponere parati essemus, Nos, qui, aeterni Pastoris vicaria in terris procuratione fungentes, zelo domus Dei prae caeteris incendamus necesse est, eam viam et rationem ineundam Nobis esse duximus, quae ad tot Ecclesiae detrimenta sacienda utilior et opportunior videretur. Ac illud Isaiae saepe animo revolventes²: „Ini consilium, coge concilium“, et reputantes hujusmodi remedium in gravissimis rei christiana temporibus a Praedecessoribus Nostris salutariter esse usurpatum, post diurnas preces, post collata cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus consilia, post expedita etiam plurimum Sacrorum Antistitum suffragia, Vos, Venerabiles Fratres, qui estis sal terrae, custodes dominici gregis et pastores, apud hanc Petri cathedralm censuimus evocandos; atque hodie, divina benignitate favente, quae tantae rei impedimenta sustulit, sanctae Congregationis initia solemni majorum ritu celebramus. Tot autem sunt, tamque uberes caritatis sensus, quibus hoc tempore afficimur, Venerabiles Fratres, ut eos in sinu continere non valeamus. Videmur enim in Vestro conspectu universam catholicae gentis familiam, carissimos Nobis Filios praesentes intueri: cogitamus tot amoris pignora, tot ferventis animi opera, quibus Vestro impulsu, ductu et exemplo suam pietatem et observantiam Nobis et huic Apostolicae Sedi mirifice probarunt, ac porro probant; atque hac cogitatione Nobis temperare non possumus, quin in Vestro amplissimo coetu, Nostram erga eos omnes gratissimam voluntatem, solemni et publica significatione profitentes, Deum enixe adprecemur, ut probatio eorum fidei, multo pretiosior auro, inveniatur in laudem et gloriam et honorem, in revelatione Jesu Christi³. Misera deinde etiam tot hominum conditionem cogitamus, qui a via veritatis et justitiae, ideoque verae felicitatis decepti aberrant, eorumque saluti opem afferre desiderio desideramus, memores Divini Redemptoris et Magistri Nostri Jesu, qui venit quae-

¹ Homil. ante exil. n. 1.

Is. XVI. 3.

³ I Petr. 1, 7.

rere et salvum facere quod perierat. Intendimus praeterea oculos in hoc Principis Apostolorum trophyaeum, apud quod consistimus, in hanc almam Urbem, quae Dei munere tradita non fuit in direptionem gentium, in Romanum hunc populum Nobis dilectissimum, cuius constanti amore, fide, obsequio circumdamur, atque ad Dei benignitatem extollendam vocamur, qui divini sui praesidii spem in Nobis hoc tempore magis magisque fulcire et confirmare voluerit. At praeципue Vos cogitatione complectimur, Venerabiles Fratres, in quorum sollicitudine, zelo et concordia, magnum momentum ad Dei gloriam operandam positum nunc esse intelligimus; agnoscimus flagrans studium, quod ad Vestrum munus implendum attulistis, ac praesertim praecaram et arctissimam illam Vestrum omnium cum Nobis et hac Apostolica Sede conjunctionem, qua, ut semper alias in maximis nostris acerbitatibus, ita potissimum hoc tempore nihil Nobis jucundius, nihil Ecclesiae utilius esse potest; ac vehementer gaudemus in Domino, Vos ita esse animo comparatos, ut ad certam solidamque spem uberrimorum fructuum et maxime optabilium, ex Synodali hac Vestra coitione concipiendam, impellamur. Ut nullum fortasse aliud infestius et callidius bellum in Christi Regnum exarsit, sic nullum fuit tempus, in quo magis sacerdotum Domini cum supremo gregis Ejus Pastore unio, a qua in Ecclesiam mira vis manat, postularetur; quac quidem unio, singulari divinae providentiae munere et spectata virtute Vestra, ita jugiter reipsa constituit, ut spectaculum facta sit, et futuram magis confidamus in dies, mundo et angelis et hominibus.

Agite igitur, Venerabiles Fratres, confortamini in Domino: ac in nomine ipsius Trinitatis Augustae, sanctificati in veritate¹, indui arma lucis, docete Nobiscum viam, veritatem et vitam, ad quam tot agitata aerumnis gens humana jam non adspirare non potest, date Nobiscum operam, ut pax regnis, lex barbaris, monasteriis quies, ecclesiis ordo, clericis disciplina, Deo populus acceptabilis restitui possit². Stat Deus in loco sancto suo, nostris interest consiliis et actibus, suos Ipse ministros et adjutores in tam eximio misericordiae suae opere Nos adlegit, atque huic ministerio ita Nos inservire oportet, ut illi unice hoc tempore mentes, corda, vires consecremus.

Sed nostrae infirmitatis consciī, nostris diffisi viribus, ad Te levamus cum fiducia oculos, precesque convertimūs, o Divine Spiritus, Tu fons verae lucis et sapientiae, divinae Tuae gratiae lumen praefer mentibus nostris, ut ea, quae recta, quae salutaria, quae optima sunt, videamus; corda rege, fove, dirige, ut hujus Concilii actiones rite inchoēntur, prospere promoveantur, salubriter perficiantur.

Tu vero Mater pulchrae dilectionis, agnitionis et sanctae spei, Ecclesiae Regina et propugnatrix, Tu nos, consultationes, labores nostros in

Uam maternam fidem tutelamque recipias, ac Tuis age apud Deum preibus, ut in uno semper spiritu maneamus et corde.

Vos quoque Nostris adeste votis, Angeli et Archangeli, Tuque Apostolorum Princeps, Beatissime Petre, Tuque Coapostole ejus, Paule, doctor entium et praedicator veritatis in universo mundo, Vosque omnes, Sancti aelites, et praecepit, quorum cineres hic veneramur, potenti Vos depreciatione efficite, ut omnes, ministerium nostrum fideliter implentes, susciamus misericordiam Dei in medio Templi Ejus, Cui honor et gloria in aeterna saeculorum.

DECRETA DUO

IN PRIMA SESSIONE PER ACCLAMATIONEM FACTA:

I. ·

Apertum esse SS. oecumenicum Concilium Vaticanum.

II.

Posteram Sessionem futuram esse die 6. Januarii 1870., festo Epiphiae Domini.

DEPUTATIONES SPECIALES:

A. Pro recipiendis et expendendis Patrum propositionibus.

NOMINA

Eminentissimorum ac Reverendissimorum Cardinalium et Reverendissirum Patrum, ex quibus constat peculiaris Congregatio a SSmo. Dom Nostro Pio Papa IX. deputata pro recipiendis et expendendis Patr propositionibus.

Eminentissimi et Reverendissimi Cardinales:

Constantinus Card. Patrizi.

Camillus Card. Di Pietro.

Philippus Card. de Angelis (per Breve d. d. 30. Dec. Prae Congregationum generalium Concilii, loco defuncti Ca de Reisach).

Cosimus Card. Corsi.

Xistus Card. Riario Sforza.

Jos. Othmar Card. Rauscher.

Henr. M. G. Card. de Bonnechose.

Paulus Card. Cullen.

Laurentius Card. Barili.

Jo. Ignat. Card. Moreno.

Raphaël Card. Monaco La Valetta.

Jacobus Card. Antonelli.

Reverendissimi Patres:

Gregorius Jussef, Patriarcha Antiochenus Melchitarum.

Josephus Valerga, Patriarcha Hierosolymitanus.

Jos. Hippolytus Guibert, Archiep. Turonensis.

Alexander Riccardi De Netro, Archiep. Taurinensis.

Marianus Barrio y Fernandez, Archiep. Valentiniensis.

Raphaël Valentinus Valdivieso, Archiep. S. Jacobi de Chile.

Jo. Martinus Spalding, Archiep. Baltimorensis.

Franc. Xav. Apuzzo, Archiep. Surrentinus.

Alexander Franchi, Archiep. Thessalonicensis.

Petrus Giannelli, Archiep. Sardianus.

Henr. Eduardus Manning, Archiep. Westmonasteriensis.

Victor Augustus Dechamps, Archiep. Mechliniensis.

Conradus Martin, Episc. Paderbornensis.
Petrus Hieremias M. Celestia, Episc. Pactensis.

B. Judices excusationum.

NOMINA

Reverendissimorum Patrum, qui in Judices Excusationum majori suffragiorum numero electi sunt.

Reverendissimi Patres:

Paulus Melchers, Archiep. Coloniensis.
Benvenutus Monzon y Martins, Archiep. Granatensis.
Joachim Limberti, Archiep. Florentinus.
Jo. B. Landriot, Archiep. Rhemensis.
Franciscus Pedicini, Archiep. Barenensis.

C. Judices querelarum et controversiarum.

NOMINA

Reverendissimorum Patrum, qui in Judices querelarum et controversiarum majori suffragiorum numero electi sunt.

Reverendissimi Patres:

Jos. Angelini, Archiep. Corinthiensis.
Caspar Mermillod, Episc. Hebronensis.
Innocentius Sannibale, Episc. Eugubinus.
Jo. Rosati, Episc. Tudertinus.
Antonius Canzi, Episc. Cyrenensis.

D. Deputatio pro rebus ad Fidem pertinentibus.

Peracto scrutinio schedularum, quae exhibitae sunt in Congregatione Generali habita feria 3., die decimaquarta vertentis mensis, majori suffragiorum numero inventi sunt electi:

Reverendissimi Patres:

1. Emmanuel García Gil, Archiep. Caesaraugustanus.
2. Ludov. Franc. Pie, Episc. Pictaviensis.
3. Patritius Leahy, Archiep. Casseliensis.
4. Renatus Franc. Regnier, Archiep. Cameracensis.
5. Jo. Simor, Archiep. Strigoniensis.
6. Andreas Ignatius Schaepmann, Archiep. Ultrajectensis.
7. Antonius Hassun, Patriarcha Ciliciae Armenorum.
8. Barthol. D'Avanzo, Episc. Calvensis et Theanensis.
9. Miecislaus Ledochowsky, Archiep. Gnesnensis et Posnaniensis.
10. Franc. Aemilius Cugini, Archiep. Mutinensis.
11. Sebastianus Diaz Larangeira, Episc. S. Petri Fluminis Grandensis Australis.
12. Ignatius Senestrey, Episc. Ratisbonensis.
13. Victor Augustus Dechamps, Archiep. Mechliniensis.
14. Joannes Martinus Spalding, Archiep. Baltimorensis.
15. Antonius Monescillo, Episc. Giennensis.
16. Petrus Jos. De Preux, Episc. Sedunensis.
17. Vincentius Gasser, Episc. Brixinensis.
18. Raphaël Valentinus Valdивесо, Archiep. S. Jacobi de Chi
19. Henr. Eduardus Manning, Archiep. Westmonasteriensis.
20. Fridericus Maria Zinelli, Episc. Tarvisinus.
21. Josephus Cardoni, Archiep. Edessenus.
22. Walterus Steins, Archiep. Bostrensis.
23. Conradus Martin, Episc. Paderbornensis.
24. Jos. Sant' Alemany, Archiep. S. Francisci.

E Secretaria Concilii Vaticani die 17. Dec. 1869.

*Josephus,
Ep. S. Hippolyti, Secretar.*

Per Breve d. d. 29. Dec. Praeses Deputationis creatus est Em. Cardinalis Bilio.

E. Deputatio pro rebus disciplinae ecclesiasticae.

Peracto scrutinio schedularum, quae exhibitae sunt in Congregatio Generali habita feria 3. die vigesima prima vertentis mensis, majori suffi giorum numero inventi sunt electi:

Reverendissimi Patres:

1. Jo. Mac-Closkey, Archiep. Neo-Eboracensis.
2. Guillelmus Ullathorne, Episc. Birminghamiensis.
- 3: Jo. Mac-Hale, Archiep. Tuamensis.
4. Pelagius De Lavastida y Davalos, Archiep. Mexicanus.
5. Pantaleon Monserrat y Navarro, Episc. Barcinonensis.
6. Anast. Yusto, Archiep. Burgensis.
7. Julius Arrigoni, Archiep. Luccanus.
8. Franc. Baillargeon, Archiep. Quebecensis.
9. Paulus Ballerini, Patriarcha Alexandrinus ritus Latini.
10. Claudius Plantier, Episc. Nemausensis.
11. Theodorus de Montpellier, Episc. Leodiensis.
12. Stephanus Marilley, Episc. Lausannensis et Genevensis.
13. Franc. Xav. Wierzchleyski, Episc. Leopoliensis r. Lat.
14. Georgius Stahl, Episc. Herbiopolensis.
15. Jo. Anibrosius Huerta, Episc. Puniensis.
16. Carolus Fillion, Episc. Cenomanensis.
17. Jo. B. Zwerger, Episc. Secoviensis.
18. Nicolaus Sergent, Episc. Corisopitensis.
19. Michaël Heiss, Episc. Crossensis.
20. Marianus Ricciardi, Archiep. Reginensis.
21. Leo Meurin, Episc. Ascalonensis.
22. Jo. Guttadauro di Reburdone, Episc. Calatanisiadensis.
23. Marinus Marini, Archiep. Episc. Urbevetanus.
24. Josephus Aggarbati, Episc. Senogalliensis.

E Secretaria Concilii Vaticani die 23. Dec. 1869.

Josephus,
Ep. S. Hippolyti, Secretar.

*Per Breve d. d. 29. Dec. Praeses Deputationis creatus est Em. Cardi-
lis Caterini.*

F. Deputatio pro rebus ordinum regularium.

Peracto scrutinio schedularum, quae exhibitae sunt in Congregatione
enerali habita feria 3., die vigesima octava vertentis mensis, majori suffra-
orum numero inventi sunt electi:

Reverendissimi Patres:

1. Franc. Fleix y Solans, Archiep. Tarragonensis.
2. Andreas Räss, Episc. Argentinensis.
3. Godofredus Saint-Marc, Archiep. Rhedonensis.
4. Ferdinandus Blanco, Episc. Abulensis.
5. Jo. Derry, Episc. Clonfertensis.
6. Jos. Bened. Dusmet, Archiep. Cataniensis.
7. Felix Cantimorri, Episc. Parmensis.
8. Jos. Ign. Checa, Archiep. Quitensis.
9. Fridericus de Fürstenberg, Archiep. Olomucensis.
10. Carolus Pooten, Archiep. Antibarensis et Scodrensis.
11. Paulus Micaleff, Episc. Typhernatensis.
12. Stephanus Vincentius Ryan, Episc. Buffalensis.
13. Simon Spilotros, Episc. Tricaricensis.
14. Alexander Angeloni, Archiep. Urbinatensis.
15. Ignatius Moraes Cardoso, Episc. Pharannensis.
16. Franc. de Leonrod, Episc. Eystetensis.
17. Guillelmus Jos. Clifford, Episc. Cliftoniensis.
18. Thomas Mich. Salzano, Episc. Tanensis.
19. Jo. Jos. Faiet, Episc. Brugensis.
20. Maria Ephraem Garrelon, Episc. Nemesinus.
21. Aloysius Nazari di Calabiano, Archiep. Mediolanensis.
22. Georgius Ebedjesu Chajat, Archiep. Amydensis Chaldaeoru
23. Caspar Willi, Episc. Antipatrensis.
24. Jo. Thomas Ghilardi, Episc. Montis Regalis.

E Secretaria Concilii Vaticani die 31. Dec. 1869.

Josephus,
Ep. S. Hippolyti, Secretar.

Per Breve d. d. 4. Jan. Praeses Deputationis creatus est Em. Canalis Bizzarri.

G. Deputatio pro rebus ritus orientalis, in qua tractabitur etiam de apostolicis missionibus.

Peracto scrutinio schedularum, quae exhibitae sunt in Congregati Generali habita feria 6., die decima quarta vertentis mensis, majori suffigiorum numero inventi sunt electi :

Reverendissimi Patres :

1. Petrus Bostani, Archiep. Tyrensis et Sidoniensis rit. Maronit.
2. Vincentius Spaccapietra, Archiep. Smyrnensis.
3. Carolus Lavigerie, Archiep. Algerianus.
4. Cyrus Behnam Benni, Episc. Mausiliensis rit. Syr.
5. Ambrosius Basilius Abdo, Episc. Mariamnensis rit. Graeco-Melchit.
6. Jos. Papp - Szilágyi, Episc. Magno - Varadiensis rit. Graeco-Rumaen.
7. Aloysius Ciurcia, Archiep. Irenopolitanus.
8. Aloysius Gabriel de la Place, Episc. Hadrianopolitanus.
9. Steph. Ludov. Charbonneaux, Episc. Jassensis.
10. Thomas Grant, Episc. Southwarcensis.
11. Hilarius Alcazar, Episc. Paphensis.
12. Daniel Mac-Gettingan, Episc. Rapotensis.
13. Jos. Pluym, Episc. Nicopolitanus.
14. Melchior Nasarian, Archiep. Mardensis rit. Armen.
15. Stephanus Melchisedechian, Episc. Erzerumiensis rit. Armen.
16. Augustinus Georgius Bar - Scinu, Episc. Salmasiensis rit. Chald.
17. Jo. Lynch, Episc. Torontinus.
18. Jo. Marangò, Episc. Thinensis et Myconensis.
19. Franc. Jo. Laouenan, Episc. Flaviopolitanus.
20. Antonius Carolus Cousseau, Episc. Engolismensis.
21. Ludov. Goesbriand, Episc. Burlingtonensis.
22. Jos. Valerga, Patriarcha Hierosolymitanus.
23. Jacobus Quinn, Episc. Brisbanensis.
24. Carolus Poirier, Episc. Rosensis.

E Secretaria Concilii Vaticani die 18. Jan. 1870.

*Josephus,
Ep. S. Hippolyti, Secretar.*

Per Breve d. d. 17. Jan. Praeses Deputationis creatus est Em. Cardinalis Barnabò.

SESSIO II.

HABITA DIE 6. JAN. 1870.

PROFESSIONE FIDEI TRIDENTINA FACTA A SS. D. N. P. PIO IX. ET OMNIBUS PP. CONCILII VATICANI.

Secunda haec Sessio eum in finem habita est, ut Rev. Synodi Patres, antequam ad gravissimam proposita discutienda et definienda accederent, solemni ritu in manus Pontificis Tridentinorum fidei professionem ederent. Quae professio, licet in omnium sit manibus, hic inserenda videtur, ne quidquam omnino desideretur.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quac contentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem coeli et terra visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deus de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantiale Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem Ecclesie

observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere et proprie Sacraenta novae Legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria. scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter, in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerando atque invocando esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, neenon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendo. Indulgientiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia reliquam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistrum agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum principis successori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac jurō.

Caetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis ac praeceps a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita ac declarata indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integrum et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem

N. spondeo, voveo ac juro; sic me Deus adjuvet et haec sancta De Evangelia.

MONITUM

EMINENTISSIMORUM PRAESIDUM CONGREGATIONUM GENERALIUM PUBLICATUM IN CONGREGATIONE GENERALI

DIE 14. JANUARII 1870.

In sacrosancto Concilio Tridentino, die 17. Februarii a. 1562, Cardinales Praesides graviter Patres admonuerunt, ne ea, quae examinanda proponebantur, evulgarent, antequam in publica sessione ederentur, recitatis per secretarium Angelum Massarelli verbis sequentibus: „Reverendi dissimi Patres! Sciunt Dominationes Vestrae, quam indignum sit, quandoque indecens, ut decreta et alia, quae Patribus examinanda proponuntur antequam firmentur, et in publica sessione edantur, evulgentur. Quia Illustrissimi DD. Legati et Praesides admonent atque etiam hortantur Dominationes Vestras, ut pro honore atque existimatione hujus sacri Concilii ad obviandum scandalis, quae oriri possent, decreta et alia quaerantur, quae examinanda proponuntur, non evulgent, neque eorum exemplum alicui extra gremium Concilii exhibeant, neve extra civitatem ad aliquem transmittant; idque ne a suis familiaribus fiat, severissime prohibeant. Jam' vero, quoniam non sine magno animi nostri dolore et justa bonoru omnium offensione id modo accidit, de quo suo tempore lamentabantur Cardinales Concilii Tridentini Praesides, idem monitum instaurare cogimur atque illud iis omnibus serio inculcare, qui in litteris Apostolicis „*Multiplices inter*“ num. III. recensentur, videlicet omnibus et singulis Patribus officialibus Concilii, theologis, Sacrorum Canonum peritis, ceterisque, quae operam suam Patribus vel officialibus praedictis quovis modo in rebus hujus Concilii praebent, maxime cum ob effrenem publicarum ephemeralium licentiam multo majora scandala ex secreti violatione nascantur, habeatur in iisdem apostolicis litteris expressum summi Pontificis de secreto servando praeceptum, quod praeceptum sine gravis culpae rea transgredi nemini licet.

E Secretaria Concilii Vaticani, die 14. Januarii 1870.

*Josephus,
Ep. S. Hippolyti, Secretar.*

MONITUM
EMINENTISSIMORUM PRAESIDUM CONGREGATIONUM GENERALIUM
PUBLICATUM IN CONGREGATIONE GENERALI
DIE 14. JANUARII 1870.

Plurimorum Patrum desiderio non semel nobis expresso adhaerentes, monemus et enixe rogamus eos omnes, qui loqui volent in Congregatione generali, ut, quantum fieri potest, maxima brevitate utantur in suis proponendis et explicandis animadversionibus, omittendo ea, quae proprie ad rem non pertinent, neque ex integro repetendo, quae fortasse ab aliis Partibus jam adnotata fuerint.

E Secretaria Concilii Vaticani, die 14. Januarii 1870.

Josephus,
Ep. S. Hippolyti, Secretar.

DECRETUM

NOVAM NORMAM PRO CONCREGATIONIBUS GENERALIBUS STATUENS.

Apostolicis Litteris, die 27. Novembris anno proxime superiori editis, quarum initium „*Multiplices inter*“, Summus Pontifex ordinem generalem constituit in Vaticani Concilii celebratione servandum, in iisque, praeter alia, certas quasdam regulas tradidit, quibus rationi disceptationum a Partibus habendarum consuleretur.

Jam vero ipse Sanctissimus Dominus propositum sibi finem facilius assequi cupiens, nec non rationem habens expostulationum, quae a plerisque Concilii Partibus haud semel exhibitae sunt ex eo, quod disceptationum conciliarium series in longum plus aequo protrahatur; ex apostolica sua sollicitudine quasdam peculiares pro Congregationum generalium discussionibus tradere normas constituit, quae praestitutum generalem ordinem evolvendo, atque integrum servando eam discussionum libertatem, quae Catholicae Ecclesiae Episcopos deceat, pleniori expeditiorique ratione ad rerum tractandarum examen, disceptationem et deliberationem conferrent.

Quamobrem Cardinalibus Congregationum generalium Praesidibus in consilium adhibitis, et quaesita etiam sententia Patrum peculiaris Congregationis recipiendis expendendisque Episcoporum propositionibus, idem

Sanctissimus Dominus Noster sequentes ordinationes edendas servandasque mandavit:

1. Distributo schemate Concilii Patribus, Cardinales Praesides Congregationum generalium congruum tempus praefigent, intra quod Patres ipsi, qui aliqua in schemate animadvertisenda censuerint, ea scripto tradere debeat.

2. Animadversiones hoc ordine exarandae erunt, ut primum illae scripto adnotentur, quae schema generatim respiciunt, sive integrum sive divisum prout a Praesidibus indicatum fuerit: deinde illae, quae ad singulas schematis partes referuntur, schematis ipsius ordine servato.

3. Qui ex Patribus animadversiones vel in verba vel in paragraphos propositi schematis afferendas putaverint, novam verborum vel paragraphorum formulam subjicient in locum prioris in schemate substituendam.

4. Animadversiones a Patribus Concilii hac ratione exaratae et propria subscriptione munitae Secretario Concilii tradentur, ejusque opera ad respectivas Episcoporum deputationes transmittentur.

5. Postquam hujusmodi animadversiones expensae fuerint in conventu ejus deputationis, ad quam pertinent, singulis Patribus distribuetur schema reformatum, una cum summaria relatione, in qua de propositis animadversionibus mentio fiet.

6. Schemate una simul cum supradicta relatione Patribus Concili communicato, Cardinales Praesides diem statuent Congregationis Generalis in qua discussio inchoabitur.

7. Discussio fiet primum generatim de schemate integro vel diviso, prout Cardinalibus Praesidibus visum fuerit, eaque absoluta, de unaquaque singillatim schematis ipsius parte disceptabitur; proposita semper in hac singularum partium discussione ab oratoribus formula expensi schematis periodo vel paragrapho substituenda, ac Praesidibus post habitum sermonem scripto exhibenda.

8. Qui de reformato schemate loqui voluerint, dum suum disserendi propositum Praesidibus significandum curabunt, innuerc pariter debebunt, utrum de toto schemate in genere, vel de ejus partibus in specie acturi sint; et quatenus in specie, de qua schematis parte sibi agendum esse statuerint.

9. Liberum erit cuique ex respectivae deputationis Episcopis, impetrata a Praesidibus venia, oratorum difficultatibus et animadversionibus respondere: ita tamen, ut facultas ipsis sit vel statim post oratoris sermonem eloqui, vel pluribus simul oratoribus eadem super re disceptantibus reponere, idque vel eodem vel alio die perficere.

10. Oratorum sermones intra fines propositi argumenti cohibeantur. Si quem vero Patrum extra metas vagari contingat, Praesidum erit ad propositam quaestionem ipsum revocare.

11. Si discussionum series, re proposita jam satis excussa, plus aequo protrahatur, Cardinales Praesides, postulatione scripto exhibita a decem

minimum Patribus, Congregationem generalem percontari poterunt, an velit, disceptationem diutius continuari; et, exquisitis per actum assurgendi vel sedendi suffragiis, finem discussioni imponent, si id majori Patrum praesentium numero visum fuerit.

12. Absoluta super una schematis parte discussione, antequam transitus fiat ad aliam, Cardinales Praesides suffragia Congregationis generalis exquirant, primum quidem super propositis in ea ipsa discussione emendationibus, deinde super integro partis examinatae textu.

13. Suffragia, tum super emendationibus, tum super singularum partium textu, ita a Patribus Concilii ferentur, ut Praesides distinctis vicibus ad surgendum invitent, primum eos, qui emendationi vel textui assentiuntur, deinde eos, qui contradicunt: recensitis autem suffragiis, id decernetur, quod majori Patrum numero placuerit.

14. Cum de omnibus schematis partibus hac ratione suffragia lata fuerint, de examinato schemate Patrum sententias Cardinales Praesides rogabunt. Haec autem suffragia orenenus edentur per verba *placet* aut *non placet*; ita tamen, ut, qui conditionem aliquam adjiciendam existiment, suffragium suum scripto tradere debeant.

Datum Romae die 20. Februarii 1870.

Philippus Card. de Angelis, Praeses.

Antonius Card. de Luca, Praeses.

Andreas Card. Bizzarri, Praeses.

Aloysius Card. Bilio, Praeses.

Hannibal Card. Capalti, Praeses.

Josephus, Ep. Sancti Hippolyti,
Secretarius.

**MONITUM
DE INFALLIBILITATE ROMANI PONTIFICIS.**

Cum plurimi Episcopi petierint a SS^{mo} Domino nostro, ut Concil proponatur thema de infallibilitate Romani Pontificis, idemque SS^{mus} D minus noster, de consilio peculiaris Congregationis pro recipiendis et e pendendis Patrum propositionibus deputatae, memoratae petitioni annue dignatus sit; idcirco R^mis Concilii Patribus examinanda distribuitur formu novi capit is ea de re agentis: quae formula schemati Constitutionis Do maticae *de Ecclesia Christi* inserenda erit post caput undecimum. Sim autem R^mi PP. monentur, ut ii, quibus super eodem capite undecimo super praedicta formula, nec non super canonibus 14., 15., 16. aliquid o servandum videbitur, animadversiones suas scripto tradant Secretario Co cilii intra decem dies, nempe a die octava usque ad diem decimam sept mam Martii inclusive, juxta decretum 20. Februarii proxime elapsi.

Ex Secretaria Concilii Vaticani, die 6. Martii 1870.

*Josephus, Ep. S. Hippolyti,
Secretar. Concilii Vatic.*

Tempus pro tradendis animadversionibus postea ab eodem Secretar Concilii ad diem 25. Martii prorogatum est.

MONITUM.

Mittitur adjectum huic Monito schema primae Constitutionis dogm atice reformatum, una cum Relatione eorum, quae de eo in peculiari d putatione pro rebus ad fidem pertinentibus deliberata sunt. Feria V hujus hebdomadae, die 18. currentis mensis, hora nona matutina in Au Concilii habebitur proxima Congregatio generalis, in qua juxta num. Decreti diei 20. Februarii a. c. fiet discussio hujus schematis reformati Reverendissimi Patres, qui de eodem schemate loquendi veniam roga voluerint, dabunt Secretario nomina sua in scripto, cum expressa declar atione, utrum de toto schemate in genere, an de quibusdam ejus partib loqui velint. Initium fiet a discussione generali, et, cum haec terminat

fuerit, agetur de Prooemio seorsim, et pariter seorsim de quovis capite una cum canonibus, qui ad singula capita referuntur, juxta ordinem procedendo.

E Secretaria Concilii Vaticani, die 14. Martii 1870.

Josephus,
Episcopus S. Hippolyti, Secretar.

MONITUM.

INDICANTUR PATRIBUS CONCILII RITUS SACRI,

QUI TEMPORE QUADRAGESIMALI IN BASILICA VATICANA HABEBUNTUR.

Die 2. Martii anni 1870., Feria IV. Cinerum, Capella papalis hora nona cum dimidio habebitur in Basilica Vaticana.

E^{mi} et R^{mi} DD. Cardinales *vestibus violaceis* induiti ad memoratam Basilicam accedent, ubi, adorato Sanctissimo Sacramento, paramenta violacei coloris cuique ordini propria assument cum mitris serico-damascenis, et pergent ad presbyterium Sanctitatem Suam praestolantes.

R^{mi} DD. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, praefatam Basilicam ingressi, sanctissimum Sacramentum adorabunt et in sacello S. Sebastiani, sumptis cappis (ita disponente summo Pontifice ob peculiares circumstantias), exceptis R^{mis} Patriarchis, qui sacras vestes induent juxta eorum ritum, statim omnes se conferent ad aram maximam et propria subsellia occupabunt.

Abbes, qui, sacro Conilio perdurante, ex speciali privilegio Capellis pontificiis interesse possunt, mantelletum et mozzettam induent et locum sibi debitum petent.

Praestita obedientia Beatissimo Patri ab E^{mis} Cardinalibus et R^{mis} Patriarchis *tantum*, peragetur benedictio et impositio Cinerum, qua absoluta, omnes, qui sacras vestes induint fuerint, eas deponent, scilicet E^{mi} et R^{mi} DD. Cardinales in propriis subselliis, et cappas violacei coloris assument, ceteri in proximo S. Leonis sacello, et omnes Missae adsistent.

Die autem 6. Martii ejusdem anni 1870., Dominica I. Quadragesimae; die 13., Dominica II.; die 20., Dominica III.; die 27., Dominica IV. *Lætare* (cum cappis violaceis supra vestes rosaceas pro E^{mis} et R^{mis} Cardinalibus) et die 3. Aprilis, Dominica de Passione, erit Capella papalis in commemorata Basilica Vaticana hora decima ante meridiem cum cappis, quae assumentur et deponentur, ut supra enunciatum est. Antistites vero ritus orientalis cum vestibus juxta eorum morem.

Praeterea die 4. Martii 1870., Feria 6.; die 11., Feria 6.; die 18 Feria 6.; die 22., Feria 3.; die 1. Aprilis, Feria 6.; die 8., Feria 6.; die 12., Feria 3. majoris hebdomadae hora decima cum dimidio ante meridiem habebitur concio in aula consistoriali Palatii Apostolici ad Vaticanum E^m ac R^m DD. Cardinales cappas induent violacei coloris, ceteri Rⁿ Patres ritus latini aderunt cum mantelletto supra rochetum; Orientales vero cum vestibus ordinariis juxta morem sui ritus.

Aloysius Ferrari,
Protonot. Apost. Caerem. Praefectus.

DECRETUM.

PROVIDETUR ILLIS DIOECESIBUS,

QUARUM ANTISTITES CONCILIO ASSISTENTES

SACRA OLEA IN SUIS ECCLESIIS CONSECRARE NON POSSUNT.

Nonnulli Sacrorum Antistites, qui Oecumenico Concilio Vaticano interi-
sunt, praevidentes, se a propriis Dioecesis fore absentes Feria V. i
Coena Domini anni hujus, ac proinde Sacra Olea in usum earumdem Dio-
cesium ea feria consecrare non posse, a Sanctissimo Domino Nostro Pi-
Papa IX. obsequentissime exquisierunt, ut huic necessitatibus providere digna-
retur. Eorum autem precibus a subscripto Sacrorum Rituum Congrega-
tionis Secretario Eidem Sanctissimo Domino Nostro fideliter relatis, Sanctas Sua perpendens etiam sententias, tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, tum R^m Domini ejusdem Sacrae Congregationis Assessoris, qui prae oculis habuerunt concessiones in peculiaribus et simili-
bus casibus factas; suprema Auctoritate Sua, derogando ab ecclesiasticis
hac de re praescriptionibus, indulxit, ut in dioecesis, in quibus non as-
sunt R^m Ordinarii, si Titularis aliquis Episcopus non inveniatur, vel
vicinis dioecesis Olea Sancta hoc anno consecrata haberri facile nequean-
tientia olea superioris anni adhiberi valeant in benedictione fontis bapti-
malis, tum in Sabbato Sancto, tum in Sabbato Pentecostes, nec non in
solemni collatione baptismatis ac in ungendis infirmis. R^m autem ipsi
Ordinarii monere curabunt quamprimum illos, ad quos spectat, de praes-
dicta Apostolica dispensatione, ut Olea sacra non deficiant: infundend
etiam, urgente necessitate, partem modicam et minoris quantitatis Olei no-

benedicti in Oleis benedictis. Sanctionibus quibuscumque ac decretis in contrarium disponentibus minime obstantibus.

Die 17. Februarii 1870.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Loco † Signi.

D. Bartolini,
S. R. C. Secretarius.

MONITUM.

ANNUNCIATUR PATRIBUS TERTIA SESSIO PUBLICA ET MODUS SUFFRAGII DANDI.

Cum post diutinos gravesque labores, quibus Deus benedixit, sufficiens materia pro celebranda publica Sessione in promptu sit, SS. Dominus Noster statuit, ut III. Sessio SS. oecumenici Concilii Vaticani habeatur proxima Dominica, quae est Dominica in Albis, dies 24. currentis mensis Aprilis.

In hac Sessione suffragia Patrum de Constitutione dogmatica, quae inscribitur: *De Fide Catholica*, exquirentur eadem forma, quae nuper in Congregatione generali adhibita est, ita scilicet, ut nomina singulorum Concilii Patrum juxta ordinem dignitatis et promotionis alta voce recitentur, iisque, quorum nomina fuerint recitata, statim surgant, et alta ac intelligibili voce suffragium edant respondendo: *Placet*, vel: *Non Placet*.

Animadvertisendum quippe est, quod in publica Sessione juxta Litteras Apostolicas: *Multiplices inter* dd. 27. Novembris 1869. num. VIII., quo modus procedendi in Sessionibus publicis praescribitur, non liceat aliter suffragium dare, nisi pure et simpliciter per verba: *Placet*, aut: *Non Placet*, excluso alio quovis modo.

Dies autem proximae Congregationis generalis post Sessionem publicam habendae significabitur Patribus per Monitum typis impressum unum argumento, quod in ea tractandum erit.

E Secretaria Concilii Vaticani, d. 18. Aprilis 1870.

Josephus,
Episcopus S. Hippolyti, Secretar.

SESSIO III.

HABITA DIE 24. APRILIS 1870.

CONSTITUTIO DOGMATICA DE FIDE CATHOLICA.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

SACRO APPROBANTE CONCILIO AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Jesus Christus, ad Patrem coelestem redditurus, cum Ecclesia sua in terris militari omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum se esse promisit. Quare dilectae sponsae praesto esse, adsistere docenti, operanti nedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Huius vero salutaris ejus providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris coinerter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui o christiano e Conciliis oecumenicis, ac nominatim e Tridentino, inquisiti temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima ligionis dogmata pressius definita uberiorusque exposita, errores damnataque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiae et pietatis studium, parata adolescentibus sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc praeterea arctior membrorum cum visibili Capite communiversoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosae multiplicatae familiae aliaque christiana pietatis instituta; hinc ille etiam audius et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi reglate per orbem propagando.

Verumtamen hacc aliaque insignia emolumenta, quae per ultimam maxime oecumenicam Synodum divina clementia Ecclesiae largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima, inde potissimum orta, quod ejusdem sacro-sanctae Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini Patres proscrisserunt, dum, rejecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis judicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et judex asserebantur, jam non pro divinis haberí, imo mythicis commentis accenseri cooperunt.

Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quae religioni christiana utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiatur. Re-licta autem projectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo ejus, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut jam ipsam rationalem naturam, omnemque justi rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur.

Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet Sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.

Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiae viscera? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret, quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provchere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quae sanat omnia, testanda et praedicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum¹.

Nos itaque, inhaerentes Praedecessorum Nostrorum vestigiis, pro su-

¹ Is. LIX, 21.

premo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tue perversasque doctrinas reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et judicantibus universi orbis Episcopis, in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, inni Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditu et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra, in conspec omnium, salutarē Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnat

CAPUT I.

De Deo rerum omnium Creatore.

Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omni et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praet ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestanda perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consimil ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spirituale et corporale, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quam communem ex spiritu et corpore constitutam¹.

Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia superviter². Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus³, ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.

CAPUT II.

De Revelatione.

Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certe cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae faciuntur, intellecta, conspiciuntur⁴: attamen placuisse ejus sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis suorum decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: Multifariam, multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus is locutus est nobis in Filio⁵.

¹ Conc. Later. IV. c. 1. *Firmiter.*

² Sap. VIII, 1. ³ Cf. Hebr. IV, 13. ⁴ Rom. I, 20. ⁵ Hebr. I, 1—2.

Huic divinac revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus iuinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite¹; firma certitudine et nullo dmixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona iuina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem culus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum².

Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae idem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis t sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, ut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, d nos usque pervenerunt³. Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii decreto recententur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canoniciis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canoniciis habet, on ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate int approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sinc errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum hant auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione iuinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a uibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, anc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius st judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctorum; atue ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

CAPUT III.

De Fide.

Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, ratio creata increatae Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero idem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei re-

¹ 1. Cor. II, 9.

² Conc. Trid. sess. IV. Decr. de Can. Script.

velantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostol sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium¹.

Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esse voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelation suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetiae quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commo strent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligenti accommodata. Quare tum Moyses et Prophetæ, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; de Apostolis legimus: Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domini cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis². Et rursus scriptum est: Habemus firmorem propheticum sermonem, cui bene facit attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco³.

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemen tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui d omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati⁴. Quare fid ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi D obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperand

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemnni iudicio si ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda pr ponuntur.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constantem perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaequa institutionis manifestis notis instruxit, ut tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosciri. A solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidenter fidei christianaem credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes⁵, et ad se invitent qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidiu

¹ Hebr. XI, 1. ² Marc. XVI, 20. ³ 2. Petr. I, 19.

⁴ Syn. Araus. II. can. 7. ⁵ Is. XI, 12.

eccedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem umine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicæ veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, alsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio usceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut n dubium fidem eamdem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, antam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

CAPUT IV.

De Fide et Ratione.

Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, luplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide livina cognoscimus; objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Jesum Christum facta est¹, pronunciat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit: nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei². Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis³.

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assecuratur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem⁴.

¹ Ioan. I, 17. ² 1. Cor. II, 7—9.³ Matth. XI, 25. ⁴ 2. Cor. V, 7.

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fide et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria r velat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus aute negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inan autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fid dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur asserti nem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum a cepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus hab falsi nominis scientiam proseribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam². Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatem speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, s opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta monstraret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolam fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multipl cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis juvet et que promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanant aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvans ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinae suo quaque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; s justam hanc libertatem agnosceens, id sedulo cavet, ne divinae doctrin repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, et quae sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingenii perficienda, sed tanquam divini depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter claranda. Hinc sanctorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est renodus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam abs sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum. Crescat igit et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tanus hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia³.

¹ Conc. Lat. V. Bulla *Apostolici regiminis*.

² Coloss. II, 8. ³ Vinc. Lir. Common. n. 28.

CANONES.

I.

De Deo rerum omnium Creatore.

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit.
2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.
3. Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.
4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales, ex divina substantia emanasse;
 - aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;
 - aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod se determinando constitutus rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.
5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;
 - aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum;
 - aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

II.

De Revelatione.

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit.
2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.
3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.

4. Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacerdoti et canonicis non suscepit, aut eos divinitus inspiratos esse negavit; anathema sit.

III.

De Fide.

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis creditur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia a inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes in narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec in divinam religionis christianaem originem rite probare anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianaee non esse liberum sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessaria esse; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magistris iam suscepit, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolvant; anathema sit.

IV.

De Fide et Ratione.

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et propria dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per ratio-

nem rite exultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Jesu Christi obtestamur, necnon ejusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate jubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae ejusmodi opinione, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesima quarta Aprilis.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

Ita est.

*Josephus, Episcopus S. Hippolyti,
Secretarius Concilii Vaticani.*

Suffragiis a Patribus Concilii datis, S. D. N. Papa Pius IX. haec verba ex tempore locutus est:

„Videtis, fratres charissimi, quam bonum sit et jucundum ambulare in Domo Dei cum consensu, ambulare cum pace.

Sic ambuletis semper.

Et quoniam hac die Dominus noster Jesus Christus dedit pacem apostolis suis, et ego, Vicarius Ejus indignus, Nomine suo do vobis pacem.

Pax ista, prout scitis, expellit timorem.

Pax ista, prout scitis, claudit aures sermonibus imperitis.

Ah! ista pax vos comitetur omnibus diebus vitae vestrae; sit ista pax vis in morte; sit ista pax vobis gaudium sempiternum in coelis!”

SESSIO IV.

HABITA DIE 18. JULII 1870.

PROOEMIUM.

*Haud ingratum erit has tres litteras praemittere, quibus longe maxima pa
Patrum Concilii flagitat, ut infallibilitas Romani Pontificis e cathedra loquen
contra novatores statuatur.*

1.

SACRO CONCILIO OECUMENICO VATICANO.

*A sacra Oecumenica Synodo Vaticana infrascripti Patres humillime instante
que flagitant, ut apertis, omnemque dubitandi locum excludentibus verbis sanci
velit, suprentam, ideoque ab errore immunem esse Romani Pontificis auctoritate
quum in rebus fidei et morum ea statuit ac praecipit, quae ab omnibus Christifid
libus credenda et tenenda, quaeque rejicienda et damnanda sint.*

2.

BEATISSIME PATER.

*Quum vehementiori in dies studio propagentur scripta, quibus Catholica tradit
impeditur, Concilii dignitas labefactatur, fideliū mentes turbantur, ipsorum Episc
porum divisiones augentur, pax denique et unitas Ecclesiae gravius laeduntur; qui
aliunde instet tempus, quo necessarium forsitan erit, Concilii adunationes suspender
ac proinde periculum immineat, ne insoluta remaneat quaestio, quae animos agita*

*Ne diutius animae Christianorum omni vento doctrinae circumferri sinantu
ne haereticorum et incredulorum improperiis Concilium Oecumenicum et Ecclesi
Catholica exponantur, ne irremediabile fiat malum, quod jam nimium ingra
cere patet:*

*Infrascripti Patres Vestram Sanctitatem humillime et instantissime obsecran
Beatissime Pater, ut pro munere, quod ipsi a Christo Domino commissum est, ovi
et agnos pascendi, et pro officio, quod Ipsi injunctum est, suos Fratres confirmand
solum efficax remedium tantis malis adhibere dignetur, jubendo scilicet, ut schema c
infallibilitate Summi Pontificis sine ulla mora Concilii deliberationibus proponi jubea*

3.

BEATISSIME PATER.

*Quanta fuit vis doloris, quo affecti ad Tuam Sanctitatem supplices acceder
nuper coacti sumus, tanto nunc gaudio impellimur ad gratias Ipsi humillime agen*

das. Nuper scilicet, violenti instar turbinis, opinionum venti mentes agitabant; Sanctae Sedis infallibilitas in signum contradictionis posita erat; et ita haec ejus praerogativa a plurimis oppugnabatur, ut eorum argumentis ipse Petri et successorum ejus primatus, petra nimirum Ecclesiae fundamentalis, impeteretur.

Inter haec Ecclesiae hostes exultabant; debiles in fide, scriptorum sive arte, sive auctoritate commoti, dubii haerebant; pii vero fideles omnes haud levi sollicitudine et moerore premebantur.

Malo demum, nimis eheu! ingravescenti, efficax remedium attulisti, Beatissime Pater, dum decretum illud Concilio proponi permisisti, quo solo tanta procella sedari potest. Hac enim sola propositione moesti eriguntur animi, impugnatorum Sanctae Sedis audacia frangitur, et concordiae tam desideratae spes certa oboritur. Hoc igitur Tuum verbum, Beatissime Pater, id in procellosa hac nostra aetate efficiet, quod olim in mari factum est, quando navis, dormiente Christo, tempestate quassabatur; Ipso vero surgente et ventis imperante, magna tranquillitas facta est.

Id ut quam citissime experiamur, Tua Sanctitas precibus coram Eo, cuius Vicarius es, fusis impetrabit; nos vero cum Tuis nostras preces jungemus, ut, quorum communis est causa, communis sit laetitia, et ut, Tuis praerogativis in tuto positis, nostram quoque in populos auctoritatem confirmatam esse gaudeamus.

Romae, in festo S. Petri Martyris, 1870.

CONSTITUTIO DOGMATICA PRIMA DE ECCLESIA CHRISTI

EDITA IN SESSIONE QUARTA

SACROSANCTI OECUMENICI CONCILII VATICANI.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

SACRO APPROBANTE CONCILIO AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in Domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit,

sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pastores et Docto-
usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus i-
unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes cre-
tum multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, k-
tum Petrum caeteris Apostolis praeposuit in ipso instituit perpetuum utr-
que unitatis principium ac visible fundamentum, super cuius fortitudin-
aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas
hujus fidei firmitate consurgeret¹. Et quoniam portae inferi ad evertend-
si fieri posset, Ecclesiam, contra ejus fundamentum divinitus positum ma-
in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolu-
tatem, augmentum, necessarium esse judicamus, sacro approbante Concilium
doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici prima
in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credenc-
et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Eccle-
fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos, err-
proscribere et condemnare.

CAPUT I.

De Apostolici Primatus in beato Petro institutione.

Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia prima
jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petru-
Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum e
Simonem, cui jam pridem dixerat: Tu vocaberis Cephas², postquam
suam edidit confessionem inquiens: Tu es Christus, Filius Dei vivi, soler-
bus his verbis allocutus est Dominus: Beatus es, Simon Bar-Jona, caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est:
ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam
meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo clavis
regni coelorum: et quocumque ligaveris super terram, erit ligatum et
coelis: et quocumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.
Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem sui
pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile dicens: Pasce ag-
meos: Pasce oves meas³. Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum
doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur
pravae eorum sententiae, qui, constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia
regiminis formam pervertentes, negant, solum Petrum praeceteris Apostoli
sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictione
primatu fuisse a Christo instructum: aut qui affirmant, eundem primatum
non immediate directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc
ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

¹ S. Leo M. serm. IV. (al. III.) cap. 2. in diem Natalis sui.

² Ioan. I, 42. ³ Matth. XVI, 16—19. ⁴ Ioan. XXI, 15—17.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

CAPUT II.

De perpetuitate Primatus beati Petri in Romanis Pontificibus.

Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saceculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput fideique columna, et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et judicium exercet¹. Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus, in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit². Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiores principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis jura in omnes dimananter, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagm coalescerent³.

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsis Christi Domini institutione, seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT III.

De vi et ratione Primatus Romani Pontificis.

Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimonis, et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati

¹ Cf. Ephesini Conc. Act. III. ² S. Leo M. Serm. III. (al. II.) cap. 3.

³ S. Iren. Adv. haer. l. III. c. 3. et Conc. Aquil. a. 381. inter ep. S. Ambros. ep. XI

Petri, principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesi caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domi nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etia in gestis oecumenicorum Conciliorum et sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domini super omnes alias ordinariae potestatis obtainere principatum, et hanc Romanorum Pontificis jurisdictionis potestatem; quae vere episcopalis est, immediata esse: erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tandem seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis vera que obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et moraliter etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communione quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesiae Christi sit unus grecus uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua devia salva fide atque salute nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt eadem a supremo et universalis Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur secundum illud sancti Gregorii Magni: *Meus honor est honor universa Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor.* Tum ego vero honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur¹.

Porro ex supra illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneric exercitio libenter communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitum cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ei auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habent nisi potestatis saecularis placito confirmantur.

Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universam Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremi fidelium², et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ipsius posse judicium recurrir³; Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritas major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam ejus licere judicare judicio⁴. Quare a recto veritatis tramite aberrant, c

¹ Ep. ad Eulog. Alexandrin. l. VIII. ep. XXX.

² Pii P. VI. Breve, Super soliditate d. 28. Nov. 1786.

³ Concil. Oecum. Lugdun. II.

⁴ Ep. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem.

affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium nspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem urisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

CAPUT IV.

De Romani Pontificis infallibili magisterio.

Ipsò autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex, tamquam Petri principis Apostolorum successor, in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendì, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, majorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas¹. Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro, Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri. Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

¹ Ex formula S. Hormisdæ Papæ, prout ab Hadriano II. Patribus Concilii Oecumenici VIII., Constantinopolitani IV. proposita et ab iisdem subscripta est.

